This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LANE

MEDICAL LIBRARY

Seidel Collection

HISTORY OF MEDICINE AND NATURAL SCIENCES

128.3H
M59
v.4

Lane Medical Library

DAS 4. BUCH DER

„ANGEBLICHEN CHIRURGIE DES JOHANNES MESUË"

ZUM 1. MALE VERÖFFENTLICHT.

INAUGURAL-DISSERTATION,

WELCHE ZUR

ERLANGUNG DER DOCTORWÜRDE

IN DER

MEDICIN UND CHIRURGIE

MIT ZUSTIMMUNG

DER MEDICINISCHEN FACULTÄT

DER

FRIEDRICH WILHELMS-UNIVERSITÄT ZU BERLIN

AM 15. AUGUST 1893

NEBST DEN ANGEFÜGTEN THESEN

ÖFFENTLICH VERTHEIDIGEN WIRD

DER VERFASSER

FREDERIK ALEXANDER STERNBERG,

PRAKTISCHER ARZT AUS NEW YORK.

OPPONENTEN:

Herr Dr. med. W. Illoway.
Herr Dr. med. Fr. Haker.
Herr Dr. med. Carl Eicksen.

BERLIN 1893.

GEDRUCKT BEI L. SCHUMACHER.

LANE LIBRARY

LANE MEDICAL LIBRARY STANFORD
2 45 0445 0810
RD
30
S839
1893
LANE
HIST

der angeblichen Chirurgie
ue, J.

Anfangs dieses Jahres veröffentlichte Pagel als Widmungsschrift zum 50jährigen Doctorjubiläum von Herrn Geh. Medizinalrath Prof. Dr. August Hirsch nach einer Pariser Handschrift die angebliche Chirurgie des Johannes Mesuë (Berlin, 1893 bei Hirschwald).

Der Herausgeber wurde dabei von der Absicht geleitet, einen Beitrag zur Lösung eines Problems zu liefern, welches die Historiker der arabischen und mittelalterlichen Medizin seit lange beschäftigt. Ist auch durch die Pagel'sche Arbeit die Frage durchaus nicht spruchreif, eher noch etwas verwickelter geworden, so ist dadurch doch zweierlei geleistet. Erstens ist der Nachweis geliefert, dass dieses Manuscript in toto unzweifelhaft nicht von einem einzigen Autor Joh. Mesuë, selbst wenn ein solcher wirklich existirt hat, herrührt und die Ueberschrift wahrscheinlich fingirt ist; zweitens ist ein neuer Beweis zu den vielen dafür hinzugekommen, dass man im Mittelalter nicht gerade zartfühlend und schonungsvoll mit litterarischen Erzeugnissen Anderer umging.

Richtiger muss man sagen: sehr schonungsvoll. Denn man nahm sich fremden Gutes mit grosser Liebe an, schrieb es ab, machte es sehr oft dabei unkenntlich und gab es dann als eigenes Product aus. Man hatte für den Autor den beschönigenden Ausdruck Aggregator. Wir würden sagen Compilator. So führt Guilielmus Brixianus (1250 bis 1326) von seiner aus allen möglichen Autoren zusammengerafften Practica den scheinbar stolzen Titel „Aggregator Brixianus" und so nennt sich sogar Mondeville selbst in der Einleitung zum 2. Buch seiner Chirurgie (cfr. Ausgabe von Pagel S. 332). „Hujus meae cyrurgiae aggregator." Wenn etwas bei ähnlichen Werken selbständig ist, so handelt es sich höchstens um die äussere Form, um die Redaction, wiewohl bezüglich des Mondeville nicht in Abrede gestellt werden soll,

75014

dass er unzweifelhaft eine ganze Reihe eigener Gedanken und originneller Beobachtungen producirt. Auch die Pagel'sche Ausgabe der Chirurgie des „Pseudo-Mesuë" — so bezeichnen wir diesen Autor am passendsten — bestätigt die obige Behauptung.

Es handelt sich, wie Pagel bündig nachweisen konnte, zum grössten Theil um ein Mixtum Compositum bezw. ein directes Plagiat hauptsächlich bezüglich der eigentlich chirurgischen Bücher aus Bruno und Saliceto. Nähere Angaben befinden sich in der Einleitung zur Ausgabe selbst. Leider konnte aus äusseren Gründen von Buch IV und V nur eine flüchtige Analyse gegeben werden. Buch IV ist aber gerade deshalb so wichtig, weil es ein grosses Stück der speciellen chirurgischen Pathologie und Therapie enthält. Es betrifft die Wunden sämmtlicher Organe a capite ad calcem, dann das Kapitel von den Luxationen und deren Einrichtungen (Algebra bei den mittelalterlichen Chirurgen nach dem Vorgange der Araber genannt) und von den Fracturen und ist entschieden der wichtigste Theil der Handschrift. Daran schliesst sich eine mehr hygienisch-therapeutische Abhandlung über das Verhalten von Kranken und Reconvalescenten.

Die ausführliche Publication dieses Theiles ist von mancher Seite als wünschenswerth bezeichnet worden und ist schon aus dem Grunde unerlässlich, damit die Historiker in die Lage kommen die vergleichenden Studien zur Beweisführung über die wahre Quelle des Manuscriptes und zur weiteren Aufklärung über die Johannes Mesuë-Frage mit Erfolg fortzuführen bezw. die Pagel'schen Angaben nachzuprüfen. Der Herausgeber hat mir in uneigennützigster Weise zunächst das 4. Buch zur Veröffentlichung an dieser Stelle zur Verfügung gestellt, wofür ich ihm ebenso wie für die Mühwaltung bei der Correctur aufrichtigen Dank abstatte. Der Schluss mit dem 5. Buche soll bei späterer Gelegenheit nachfolgen. Ich gebe aus Rücksichten auf den Raum einstweilen hier nur den Text und behalte mir ein näheres Eingehen auf die Sache selbst für eine spätere Publication an anderer Stelle vor.

Berlin im August 1893.

Dr. **F. A. Sternberg.**

Explicit liber tertius. Liber quartus incipit, in quo determinatur de curis omnium aegritudinum a causa primitiva convenientium et de algebra et de regimine convalescentium et de sanguissugis.

Cap. I.

Et quoniam de morbis, quae in corporibus fiunt manifeste a causis interioribus dictum est, jam hoc loco passionum quae in exterioribus accidunt medelas a causis exterioribus exponemus. Dico ergo, quoniam causae hae aut a corporibus fiunt inanimatis, ut ense, sagitta, fuste, lapide et similibus, aut animatis, ut venenatorum punctura et ferarum morsu, et nos ab illis incipiemus, quae a casibus fiunt inanimatis, vulneribus scilicet et ulceribus, deinde de algebra tractabimus et de quibusdam accidentibus alicui aegrotantium provenientibus et de venis ad flebotomandum expositis et ventosis et sanguissugis sufficienter et sub certa ratione; oportet autem operatores cyrurgiae ut dicit Haly in commento I^{o} loca frequentare in quibus assueti sunt periti cyrurgicorum et eorum operationes diu ac diligenter inspicere nec sint violenti sicut qui in nocte coadunantur in bibendo vinum et cum humusmodi crapulositatis repletione detinentur nullatenus in studio librorum exercendo mentem inducunt, sed cum in aliquo loco causa moventur bibendi exercent musicam et disputationem talium liberalium artium; laudabilior tamen est de nostris, qui magis omnibus et in majori vase bibere poterit. Sed sint ingeniosi, quia omnia quae sunt ad artem necessaria, non possunt ad plenum in libris comprehendi; ingenium namque curationis omne quidem significationes habet, quicquid enim ab experimento remotum est, signatio dicitur, unde si quis ingenium curandi moraverit (?), oportet ut a primis signationibus capiat exordium, deinde aliarum rerum ordinem continuatim sequatur, quousque ad complementum hujus artis provenerit. Complementum hujus artis est scientia rerum unicuique morbo juvamen afferentium, hoc tamen facere nullus poterit nisi naturam et essentiam morborum cognoverit; nam si medicinam contra morbum intendimus facere ut morbi prius nobis sit cognitio est necesse, quoniam singulis infirmitatibus propria medicamina ad arbitrium medici fieri oportet, quia sicut impossibile est duo individua eadem esse numero, sic impossibile est aegritudines tam extrinsece quam intrinsece esse easdem, quin differant aliquo modo differendi, et sic aegritudines varia requirunt medicamina secundum complexionem, aetatem, tempus et membrorum diversitatem et pro tanto non est medicus, qui particularia non considerat; ideo oportet ut

sicut viri literati at de tertia secta aut de secunda si ab eo qui de tertia fuerit partus, ad minus artem discant; vix enim absque literatura hanc artem aliquem comprehendere credo, sed sunt ydiotae rustici et stolidi et propter causam suae stoliditatis aegritudines pessimae in hominibus generantur quibus aliquando moriuntur, cum non sapienter neque sub certa radice sed casualiter operantur et causas et nomina infirmitatum quas asserunt se sanare penitus non agnoscunt.

Cap. 2. De[1]) communi disputatione solutionis continuitatis secundum diversitatem membrorum.

Dico ergo quod solutio continuitatis, quae est aegritudo communis in carne possibile est ut redeat sicut fuit secundum viam primae intentionis. Verum solutio continuitatis in osse non sanatur per viam intentionis secundae. Prima quidem intentio est vera consolidatio, quae fieri non potest in osse propter duritiem partis ejus, secunda vero intentio est ligatio quae fit porro sarcoïde mediante; sed in osse puerorum et infantium quandoque speratur ut solutio continuitatis redeat sicut fuit propter duas causas, quarum una est ex remanentia virtutis spermatis, alia ex ossis mollitie; de nervis vero et venis, sicut recitat compilatio, dixerunt quidam medicorum, quod non sanantur per viam intentionis primae, sed per viam intentionis secundae, sicut ossa, et dixerunt quidam, quod hoc non provenit nisi solum in arteriis, et hoc etiam testatur Galenus cum dicit: multi medici putavere impossibile esse arteriae substantiam consolidari et fortitudo probationis eorum erat consideratio et experimentum: consideratio vero, quoniam una duarum tunicarum est cartilaginosa et cartilago non recipit incarnationem, experimentum autem, quia non visa est incarnatio. Ipse autem Galenus contradixit eis et dixit quod quandoque arteriae incarnantur cum experimento et ratione: experimento vero cum dixit se multas arterias jam consolidasse, sicut illa quae est sub basilica et arteria timporis et cruris; ratio autem est quoniam omne os est extremitas in duritie et non recipit consolidationem i. e. secundum primam intentionem nisi parum in infantibus, et caro est extremitas in lenitate et incarnatur; sed venae et arteriae sunt mediae inter duritiem et mollitiem; quare oportet ut earum dispositio sit media inter ossa et carnem; ergo minus recipiunt incarnationem quam caro et plus quam ossa i. e. facilius incarnantur, quando eorum sectio est parva et corpus patientis est humidum et lene et non incarnatur in eo, quod ab isto diversificantur i. e. quando sectio est magna et corpus est siccum, et hic est modus disputandi rhetoricus cum experimento et fiducia rationis.

Cap. 3.[2]) De summa et aggregatione universalis curationis vulnerum quae fiunt in carne.

Vulnera quaedam sunt parva, quaedam magna et quaedam media. Item quaedam fiunt in superficie membri, quaedam in medietate, quaedam pene-

1) Vergl. hierzu des Brunus Chir. magn. L. 1, cap. 2ff und Theoderich's Chir. L. 1, cap. 2.

2) Vergl. vorige Anmerkung. Statt cap. 2 setze cap. 3.

trantia ad profundum, et quandoque fiunt ex eis cum diminutione carnis et quandoque sine diminutione. Ex vulneribus sunt etiam apparentia sicut illa, quae fiunt cum instrumento, cujus acuitas in latum tendit sicut ensis et similia; sunt etiam quorum profunditas est occulta, utpote quando fiunt cum instrumento; cujus acuitas in rotundum tendit et strictum et est sicut lancea et sagitta. Rursus aliquando figura vulnerum est rotunda aliquando plana et recta et aliquando est habens latera et ex eis vulnus rotundum difficilius et tardius ad sanandum propter magnam comprehensionem ejus in membro, praeterea aliquando cadunt vulnera super locum carnosum tantum, aliquando super nervosum et ossuosum, quae similiter diversificantur secundum id a quo fiunt et secundum locum super quem cadunt; sic variatur modus curationis ipsorum. Res a quibus habet vulnus fieri, sunt lapis, cutellus et similia. Est autem vulnus solutio continuitatis ex recenti tempore facta, quoniam vulnus postquam antiquatum est emittit saniem et tunc poterit dici ulcus; plaga vero secundum usum communiter sumitur ab utroque. Et debes scire, quod in curatione vulneris sunt quinque principaliter attendenda nisi vulnus sit simplex i. e. valde parvum et sanguis ab eo non currat: quorum primum est ut retineatur cursus sanguinis et prohibeatur calidum apostema; secundum est ut administrentur medicinae, quae faciunt nasci pus, et hoc specialiter in vulneribus, quae aëris dispositio jam mutavit praeterquam in vulnere nervorum propter causam, quae narrabitur suo loco et similiter administrentur in vulneribus, quae fiunt ex contusione, quae est quia hujusmodi vulnera sunt dolorosa et apostemosa, quorum apostema est necesse ad saniem devenire. Tertium vero est, ut mondificentur ab ipsa sanie; quartum est, ut caro regeneretur, quintum est ut cutis induretur et sigilletur. Hac ratione sanguis est refrenandus, ut ne immoderata quantitate sanguis fluens patientem syncopizet, sed in temperata quantitate, ut dicit Avicenna, confert vulneribus et prohibet apostema et opilationem et febrem. Inquit autem: de melioribus canonibus est, ut prohibeamus in vulneribus eorum apostemationem, ut in brevi fiat curatio vulneris, verum cum illic est apostema non consolidatur omnino nisi prius sedetur, sed administratio medicinarum facientium in vulneribus digestionem convenit, ut non fiat emorrosagia et locus ab apostemate calido sit securus, et ut dolor mitigetur atque calor naturalis in vulnere confortetur sibi multum (?) tribuens nutrimentum donec materia digeratur et a spasmo servetur, quoniam ut dicit Ypocras cruda mala laxa vero bona, quia in illis quibus generatur sanies non timetur, et hoc intelligendum est, quando sanies generatur ex operatione naturae et adjutorio medicinae, sed in qua non est operata natura, est mala, unde Galenus in commentario pronosticorum dicit, quod triplex est operatio a calore, quoniam aut est tantum operans calor naturalis et tunc est conversio humoris in nutrimentum aut partim a naturali et partim ab accidentali et tunc est generatio [saniei [1]) aut tantum ab accidentali et tunc est generatio] putredinis aeruginosi. Postquam vero vulnus

1) Die eingeklammerten Worte fehlen in der Handschrift und sind nach Bruno ergänzt.

sufficienter saniem acquisivit medicinis facientibus nasci pus omnino sublatis convenit ut mondificetur et exsiccetur, ut inde valeat consolidari [nam [1]) dum ibi esset abundantia saniei vulnus consolidari] non posset, quia sicut dicit Galenus, sanies est nitrosa et corrosiva et est res magis contraria consolidationi; quapropter secta stolidorum cyrurgicorum aut vulgi redargutione ab hujusmodi documento minime movearis, qui velut ratione carentes suas pultes digestivas omnibus vulneribus indifferenter ac incessanter ministrant. Scire [volens [1])] quare hoc faciant jam eorum plures multotiens requisivi, qui mihi taliter responderunt: nullam medicinam quam pultem in vulneribus utiliorem invenimus, quoniam ipsa dolorem mitigat, digerit et confortat atque mondificat et consolidat, quod patet manifeste falsum esse excepto quod vulnera digerit et dolorem mitigat, quod utile fore dico, si [in [1])] illis vulneribus quibus convenit ministrentur et secundum debitum modum; nam sapientium promptitudo vulnera consolidari volentium circa aliud non versatur nisi ut exsiccentur et hoc digesto vulnere et hoc faciunt cum medicina desiccativa et non pus generativa. Quodsi desiderant carnem in vulneribus generari, tunc faciunt, ut exsiccando mondificent vulnera, quoniam, ut dicit Galenus, caro bona et optima in vulneribus generari non potest, nisi superfluitates mondificentur, videlicet sanies atque sudor, quae quidem superfluitates sunt superfluitates tertiae digestionis. Patet ergo lucide peritis, quod intentio curationis et mondificationis vulnerum, quibus mediantibus eorum perficiatur restauratio, non per oleum est aut farinam sive axungiam et alia putrefactiva, de quibus ipsi suas pultes componunt, verum in eis faciunt putredinem augmentari. Sunt autem vulnera curanda in die plus et minus secundum diversitatem corporis et locorum vulneratorum; nam Averroys: putrefactio major est in aestate quam in hieme, unde in aestate ter curentur si sunt multae putredinis. Hoc autem observandum cum vulnus fuerit penetrans ad interiora corporis aut cum fuerit in cerebro aut in nervosis locis aut juxta os, aut in juncturis non cum fuerit in locis aliis, tunc semel in hieme, bis in aestate curentur. Si autem vulnus adeo parvum fuerit ut nec caro nec cutis amputata sive deperdita sit, sola ligatura curari potest, quae sibi ad invicem partes conjugat et ejus disjunctionem continuet. Et cavendum est ne pilus aut oleum sive unguentum vel aliquid tale inter labia vulneris cadat, quoniam partes continuare non permittit. Ligaturae autem modus in omni vulnere talis esse debet et convenit, quod semper a loco infirmo incipiat et tendat ad partem superiorem, alia quoque fascia ab eodem loco incipiens ad partem tendat inferiorem super locum vero laesum fortius constringatur et quanto magis elongatur ab infirmo loco tanto magis relaxetur; ex hac enim ligatura sanguis ad locum infirmum transmitti non potest, unde apostematio evitatur. Si vero tantum una fascia habeatur, est necesse ut fiat involutio ab utroque capite usque ad medietatem fasciae et positis pulvillis medium ipsius fasciae super locum infirmum locetur et sic unum caput tendat superius, aliud inferius,

1) Die eingeklammerten Worte fehlen in der Handschrift und sind nach Bruno ergänzt.

cujus relaxatio et strictura sicut superius fiat et haec dicitur ligatura a duobus capitibus. Et scias quod ligatura fit in vulnere propter tres utilitates, quarum una est ut partes vulneris jam conjunctas conservet, materiam saguinis prohibendo, ne ad locum transmissus apostema faciat et dolorem. Secunda est, ut medicinam et pulvillos usque ad tempus mundificationis custodiat et conservet. Tertia vero est, ut ex vehementia constrictionis ipsius ad profunditatem vulneris et ex relaxatione in orificio virus ad exteriora currat; hoc tamen non fit nisi in vulneribus profundis et in ulceribus, in quibus timetur, ne virus in inferiori parte aggregetur. Si autem vulnus medium sit inter magnum et parvum, in ejus regimine sola ligatura non sufficit, sed cum medicaminibus sic incarnativis curam impendas, cujus haec est receptio: ℞ sanguinis draconis, olei, calcis vivae, pulv. molendini, aloës, omnium āā. Si vero vulnus adeo magnum fuerit, quod ligatura non possit partes ejus ad invicem aggregare, et tunc necesse est suturam administrari, quoniam ut dicit Galenus in tegni, in curatione carnis quatuor canones requiruntur, quorum unus est aggregatio partium disjunctarum, secundus est, ut talis aggregatio conservetur per suturam vel ligaturas; tertius est, ut custodiatur, ne aliquid inter labia vulneris cadat, quartus est, ut conservetur membri substantia secundum sanitatem suam et suam naturalem complexionem cum medicinis et cibis. Partibus igitur secundum figuram debitam collocatis, cutis superficies suatur cum acu subtili quadrata et filo de serico aut de lino subtili sine nodositate et reliqua in hoc attendantur, ut suo loco patebit. Sutura autem non multum sit fortis nec nimis debilis sed mediocris, nam ut inquit Galenus, si adeo stricta fuerit, ut dolorum generet, et generabitur ibi calidum apostema aut filum puncta secabit, et si debilis, non bene partes vulneris conjunguntur, et in omnibus locis dum vulnus est recens et sanguinolentum et ab aëre minime mutatatum sive alteratum, ubi vulnus fuerit sine deperditione carnis et laesione ossis potest fieri sutura. Si vero a principio non fuisti, tunc licet ex hoc doloris fiat additio super infirmum, vulnus parum cum instrumento aliquo renovetur, donec sanguis provocetur, ut partes disjunctae melius aggregentur, deinde sutura fiat et accipe sanguinem de crista galli et superdistilla ac medicaminis incarnativi curam accelera: ℞ aloës, sanguinis drac., olibani āā pulverizatis super suturam projiciatur, deinde superponatur petia infusa in succo plantaginis vel linguae arietis. Haec autem defendunt a generatione saniei, et oportet ut scias, quod conglutinatio vulneris renovati elongatur a facilitate conglutinationis vulneris recentis et sanguinolenti. Si vero in vulnere aliqua sit profunditas seu concavitas, tunc ejus curationis intentio non est secundum modum cujus praecessit rememoratio, sed [convenit [1])] ei medicamen faciens nasci carnem donec partes separatae integre conjungantur ne ibi aliqua remaneat concavitas, in qua sanies coaguletur aut deformis sit cicatrix. Si autem vulnus sit profunde dependens, tunc aptetur ligatura vehementior apud vulneris profunditatem et apud os ipsius lenior fiat, ut putredo egrediatur et membrum si possibile est locetur, ut orificium vulneris sit dependens inferius et

1) Fehlt in der Handschrift, ergänzt nach Bruno.

profundum superius. Galenus namque recitat sanasse vulnus in genu, cujus orificium erat in coxa et profunditas in genu, solum cum suspensione cruris superius et coxa inferius. Aut sit tua cautela cum ligatura et plumaceolis super profundum vulneris. Si vero cum ligatura nec cum aptatione membri vulnus non bene evacuatur immo saccum facit, necesse est, ut vulneris concavitas abscindatur, ut virus ex eo competentius educatur, nisi nervus aut vena impediat, quod si tibi impedit, tunc in magis depresso loco salvo et justa profunditatem fiat, in quolibet orificio licineus intromittatur et secundum quod caro creverit ipse minuatur et orificium magis dependens ad consolidationem tardius relinquatur, et hoc observandum est in omni vulnere sive ulcere, ubi duae conspiciuntur aperitiones, nec est rectum, ut vulneribus approximet aquam. Prima quidem intentio vulneris concavi cum deperditione substantiae est, ut ejus concavitas carne mensura debita reparetur et tunc medicina mondificativa et exsiccativa necessaria est. Cum autem vulnus aut ulcus sit profundum, oportet uti medicaminibus, in quibus desiccatio temperata sit et eliminatio, desiccent quidem rubiginem, eliminent vero et elevent sordem nec vero oportet medicamen plurimae esse desiccationis ne forte ulcus desiccet et oriri carnem prohibeat, sed oportet medicaminum desiccationem esse juxta ejus quantitatem rubiginis et sordis. Operantur autem haec temperate: thus, aloës, aristolochia longa, yreos, cachimia, tuthia et similia. Cum autem caro producta fuerit et jam aequalis facta superficiei cutis, tunc medicaminibus utendum erit cicatrizantibus sive sigillantibus. Haec vero medicamina sicciora esse expedit illis quibus ulceri adducitur caro, quoniam opus est carnem desiccare et indurescere, quo fiat cutis; ideo ergo cicatrizantia medicamina magis sunt pontica, ut galla, alumen, granatorum cortices et similia. Fiat enim in corporibus mollibus medicamen validum, in corporibus, quibus dura est cutis ad cicatrizandum ulcera, fortiter desiccantibus opus est medicaminibus, quo eam ad naturalem referat habitudinem[1]). Quanto autem corpora duriora sunt, tanto et medicamina fortiora desiccantia adhibenda, qualia sunt migratorum, agricolarum, navigantium, venatorum aliorumque corpora, qui magis sunt exercitii et laboris in sole. Ad hunc modum oportet esse regimen in omnibus aliis, quibus in eorum corporibus utimur medicaminibus. Secunda vero est, ut cutis restauretur, et tunc medicamen stypticum ut dictum est, administretur. Si vero id quod ex vulnere deperditum est non est aliud nisi sola cutis, tunc illud quod ab ipso principio, similiter solum medicamen stypticum convenit, donec caro dura loco cutis nascatur, quoniam ut inquit Galenus, materia cutis est sperma, cujus quantitas in corpore parva est, quia secundum primam intentionem non sanatur i. e. non regeneratur sed loco ejus caro dura nascitur, super quam non oritur pilus. Quodsi contingat, ut caro ex vulnere sit dependens ita videlicet, ut parum tenacitatis habeat, omnino incidatur, deinde medicamen carnis generativum administretur in magnis vulneribus. Aeger a principio sui usque ad perfectam digestionem in vulnere a repletione vini et grossis cibariis abstineat, ut vulnus non aposte-

1) Zweifelhafte Stelle.

metur. Si autem vulnus apostema incurrat tunc non est excusatio, quin velociter flebotomia fiat ex parte contraria, si aliquid non prohibeat et totum regimen infrigidetur; locus cum ol. ros. et albumine ovi simul mixtis et conquassatis epithimetur aut fiat hoc commune remedium in omni membro a capite usque ad pedes et est, ut coquatur granatum dulce cum vino pontico et emplastretur cum eo locus in aestate frigidum, in hieme vero calidum cum petiis superponatur et saepe renovetur.

Cap. 4. De judiciis mortis vel periculi in quibus communicant vulnera quorundam membrorum [1]).

Membra secundum plurimum significantia mortem, cum eis accidit vulnus, sunt sicut vesica, cerebrum, cor, epar, renes, diafragma, stomachus et intestina minuta, et hoc confirmatur ab Ypocrate, cum dicit vesicam incisam etc. Signa: de corde autem vulnerato sanguis exit niger et est vulneratio prope mammillam sinistram, accidit et patienti sudor et frigiditas extremitatum et est procul dubio secundum complexionem et dispositionem mortalis. Si in diafragmate, tunc prope costas parvas percussio est facta ac magnus et spissus est anhelitus cum dolore vehementi et patienti mors non prolongatur et maxime si vulnus in parte nervosa fuerit, quoniam cum in parte carnosa existit, tunc testante Galeno possibile est, ut sanetur et consolidetur. Si in pulmone fuerit, sanguis exit spumosus et fit anelitus frequens, color et patientis mutatur. Si in stomacho, ejus cibus per vulnus emittitur; si in vesica, urina funditur ex eo; si in intestinis, egestio per plagam emittitur vel egreditur et quandoque exit intestinum vel zirbus. Si in cerebro, cognoscitur per illud, quod narrabitur suo capitulo. Quodsi supradictis membris mortalia signa non apparuerint, tunc in eorum curatione secundum ingenium et tuae discretionis arbitrium studium impendas. Si vero supradicta signa appareant, omnino desistendum est et plurimum quidem, ut dicit Avicenna, ille cui accidit vulnus in ventre et accidit ei nausea aut singultus aut solutio ventris morietur. Et si ex vulnere facto in profunditate pectoris spiritus egreditur et erit cum eo tremor cordis et hanelitus strictura, similiter erit mortale. Et quia medici rationati sunt de vulnere pulmonis oportet nos inde aliquantulum disputare. Dico ergo, quod vulneratio pulmonis dupliciter consideratur, quoniam aut consideratur a causa interiori aut a causa exteriori. A causa autem interiori ptisis appellatur, et tunc si fuerit vulnus putridum et antiquum non curatur, sed si recens, antequam in eo sanies colligatur, curari potest. A causa autem exteriori dico, quodsi vulnus recens fuerit, consolidari et sanari possibile est et appositio etiam medicinarum ad mundificationem illius membri praevalet, cum vulnus est exterius seu interius. Porro contrarietas, propter quam pulmo curationem non recipit, est humiditas et ejus motus continuus, sicut narratio jam praecessit: Galenus inquit membra vulnerata necesse est ut quiescant, alioquin nullatenus consolidantur, quod est, quia ex motu dilatationem et elongationem partes vulneris patiuntur. Sunt et alia vulnera periculosa in quibusdam membris, sicut sunt quae cadunt super extremitates lacertorum tribus unciis supra genu vel infra genu vel su-

1) cfr. Bruno L. 1, cap. 6 und Theoderich L. 1, cap. 21.

pra juncturam manus aut infra cubitum et humerum secundum plurimum significantia mortem et raro accidit quin interficiant, et scias, ut dicit Glenus et Almansor, quod musculi sunt compositi ex carne, nervo et ligamento et etiam voluntariorum motuum instrumenta; est enim eorum figura in modum arcus, et quia in eis est nimia sensibilitas et partim etiam a cerebro et partim a corde ipsorum procedit origo, idcirco perniciosa eorum sectio judicatur et cum accidit spasmus hujus vulneribus lacertosis, non recipit curationem ut testatur Avicenna, nisi ut incidatur lacertus in latitudinem et tunc oportet ut illius membri actio destruatur. Generaliter autem vulnera, quae fiunt in locis venosis et nervosis et etiam nervorum, sunt significantia timorem, quia multotiens sequuntur accidentia mala, sicut est spasmus et alienatio et permixtio rationis et in quocunque loco fuerit, si magnam habent profunditatem et capacitatem (et) sunt vicina timori; eo vero quae fuerint in locis carnosis, in quibus sunt pauci nervi, venae, pelliculae sive ligamenta et non sint magnae profunditatis nec capacitatis, saniora sunt.

Cap. 5. De contusione[1]).

Cum vulnera ex contusione accidunt, non negligatur contusio, ut vulnera sanentur et ne membrum corrumpatur et putrefiat, quia sicut dicit Galenus: omnis contusio carnis necesse est putrefieri, cujus putredo ad vulnus attrahitur et carnis generationi et consolidationi repugnat. In curatione autem hujusmodi vulnerum principaliter quattuor requiruntur intentiones, quarum prima est, ut corpus evacuetur per flebotomiam et ventris solutionem si indigeat illa solutione, ut sit adjutorium in allevatione tumoris. Quodsi contusio fuerit profunda et sanguis multus coagulatus, tunc non sufficit solum flebotomia, verum oportet ut trahatur cum fortitudine scilicet cum ventosis, scarpellatione aut sanguissugis. Secunda est ut administretur cataplasma mollificativum et maturativum, cajus est embrocatio de farina tritici, oleo et aqua; nam hujusmodi medicamen sanguinem qui jam in contusione coagulatus est mirabiliter subtiliat et liquefacit dilatando poros et dolorem mitigat, quoniam calorem in craneum congregat et conservat. Tertia est ut mondificetur sanies. Quarta vero et ultima ut vulnus cum medicina exsiccativa sicut cetera vulnera curetur. Galenus autem: vulnera ex contusione facta difficilius quam ex scissura facta consolidantur.

Cap. 6. De universali curatione vulnerum nervorum[2]).

Solutio continuitatis in nervis propter plurimum sensum ipsorum et continuationem cum cerebro spasmum velociter commovent et propter hoc dicit Galenus: punctura nervi et thenantos parati sunt ad provocandum spasmum; et licet multae sint causae, quibus spasmus in vulnere nervorum generetur, istae tamen sunt vehementiores scilicet frigus, sanguis, dolor et putrefactio. Omnis namque medicina frigida nocet nervis ex eo quod substantia nervorum

1) Siehe Bruno L. 1, cap. 7, Theoderich L 1, cap. 19
2) Bruno L. 1, cap. 5, Theoderich L. 1, cap. 15.

frigida est. Item omnis dolor exacuit reuma, unde tumor et apostema (generantur), quibus spasmus facile generatur. Iterum quando putredo coadunatur in vulnere nervorum et nequit ad exteriora fluere propter clausuram orificii vulneris fit putrefactio et corrumpitur membrum,. deinde sequitur spasmus; nervi enim sunt de materia humida creati a frigiditate congelata et conglutinata et propter hoc quando accidit putrefactio augmentatur in eis, quapropter sit intentio tua in prohibitione praedictorum. Sis ergo sollicitus, ut scissura aperiatur et dilatetur ut virus effluere possit et non festines consolidationem ejus sicut imperiti faciunt, nisi prius dolor mitigetur et locus mondificatus fuerit atque ab apostemate securus. Corpus etiam si opus fuerit mondificetur et regimen subtilietur ultima subtiliatione. Scissura vero aut fit secundum longum aut secundum latum; sed quae fuerit secundum longum testante Galeno salubrior est, et quae fit secundum latum, molestior est et propinquior ad spasmum, unde Avicenna: si nervus incidatur secundum latum et non ex toto et puncturam patiatur oportet ut nervus totaliter abscindatur, ut sis a spasmo securus, quoniam ut inquit Galenus, tunc apostema est junctum parti incisae et non incisae, unde parte incisa passio ad cerebrum ducitur et spasmum facit, quare etiamtunc oportet, ut aegrum flebotomemus sine consideratione virtutis et collum, cervicem, spinam, subassellas, pectinem et inguina cum oleo tepido unguamus; hujus namque unctio multum securat a spasmo, et si acciderit, ultima curatione succurras et post totalem incisionem in latitudinem oportet ut nervus suatur, si a principio, antequam capita retrahantur fueris vocatus, quoniam facilius incarnatur et fortasse nisi suas ipsum, ut dicit Avicenna, non conglutinatur. Medicamen conveniens vulneri nervorum est calidae et siccae naturae et subtilis substantiae et exsiccatio ejus est vehemens valde cum attractione et non cum stypticitate omnino; ipsius vero caliditas est temperamento vicina; calidum enim superflue non convenit et cavendum est, ne dolor sedetur cum aqua calida ex eo quod putrefacit, quoniam nervi de materia humida, quam frigus congelavit, ut diximus, creati sunt, et propter hoc ex calido et humido putrefiunt, nec etiam frigida omnino administrentur, quia poros opilant et spasmum generant, sed mitigetur cum oleo calido dolor, et si diceret aliquis: oleum putrefacit, non excusatur; dicere possumus, quoniam habet propietatem sedandi dolores et subtiliandi medicinas et faciendi eas cursibiles, et idcirco sit oleum subtilium partium cum stypticitate, quia minus putrefacit et non evacuatur ab attractione. Galenus autem inquit quod oleum vetustum dissolubilius recens vero mitigantius, sed mediocre nec unum nec aliud bene operatur. Oportet autem ut mutetur oleum secundum varietatem temporis; in aestate ergo administretur ol. rosaceum et in hieme ol. commune, quoniam in aestate frigidior medicina, in hieme calidior est eligenda. Et quandoque cum evaporatione pannorum calidorum positorum super locum fit doloris sedatio. Sulphur vivum propter subtilitatem et exsiccationem suam si cum modico oleo ad modum unguenti conficiatur valet ad vulnera nervorum, et calx viva cum aqua dulci multotiens abluta et cum oleo confecta utiliter potest administrari et tuthia eodem modo abluta et confecta. Galenus sola terebintina usus est in hujusmodi vulneribus et in pue

ris, mulieribus, humidas naturas habentibus; in siccas vero et duras complexiones habentibus cum ea modicum euforbii admiscebat ac etiam in durissimis et siccissimis corporibus serapinum cum terebintina et oleo ministrabat; faex etiam cerae sola vel cum radice euforbii quandoque administratur. Dixit iterum, assam bonam esse, si de ea fiat emplastrum. Est autem considerandum consideratione bona, utrum nervus sit discoopertus et vulnus valde dilatatum aut non; quodsi fuerit non suffert medicamen vehementer calidum, sicut est euforbium, sulphur et his similia, immo indiget medicina minoris caliditatis sicut est tuthia abluta et calx abluta; et similiter non sustinet nervus discoopertus et vulnus largum oleum nisi primo apponatur vinum coctum deinde oleum. Et medicinae quidem quae administrantur hujusmodi vulneribus non abluuntur alia de causa nisi ut acuitatem et mordicationem amittant, quoniam mordicatio apostema generat et tumorem; haec omnia etiam non nisi tepida ponantur, quia frigida spasmum excitant. De compositis medicaminibus est medicamen Galeni mirabile et aptum expertum et ipsum inveni peroptimum. ℞ cerae albae, resinae āā dr. 5, euforbii picis āā dr. 3, ol. ros. q. s. ad ignem incorporentur et oportet te subtiliter intueri ne medicina in calefactione modum excedat aut ne calefactio minuatur, similiter abstersio et exsiccatio, et si videris medicinam, ultra quam sit necessarium calefactionem habere, quod rubor et calor membri tibi absque dubio declarabit, tunc membrum infrigidandum est donec caliditas superflua minuatur. Si vero vulnus lavari oportet tunc, ut dicit Galenus, imprimis sanies abstergatur cum panno, deinde lava cum sapa vini vel vino dulci vel pontico et iterato desicca humiditatem sicut diximus. Et cavendum est prout mollificativum nec maturativum medicamen apponas, quoniam, ut inquit Galenus, accidit cuidam homini punctura cum ferro minuti capitis in manu et disrupta est cutis et tetigit nervum, ac medicus stolidus posuit medicinas mollificativas sicut emplastrum de farina tritici et aqua et oleo quare putrefacta est manus hominis et mortuus est infra septimum diem, quoniam supervenit spasmus propter putredinem. Si vero orificium scissurae apertum fuisset et medicina desiccativa cum attractione subtilis substantiae administrata fuisset, morti non succubuisset homo ille. Scias quod ideo medicina subtilis convenit ministrari ut absque dolore penetret ad profundum, quia nervi positi sunt in profundo, ut per ea, a quibus cooperiuntur, defendantur ab extrinseco nocumento. Praeterea oportet, cum vulneri nervorum calidum acciderit apostema, ut sollicitudo sit in ejus sedatione. Et de illis, quae sedant ipsum sunt sicut emplastrum de farina ordei vel fabarum aut orobi decocta cum aqua aneti et serapini et apponatur tepidum, quia sicut dicit Avicenna nihil nocibilius et deterius est nervis vulneratis quam illud quod est frigidum. Et cum nervis iterum evenit attritio sive ruptura carnis si non fuerit in loco apostema tunc cum sedantibus dolorem cures, sicut embrocatione olei calefacti. Malvaviscus paratus positus super nervos attritos praebet mirabile juvamentum et etiam cepe bene coctum. Durities quae vulneribus accidere consuevit, tarditatem consolidationis inducit, unde Galenus: sanitas vulnerum tardatur aut propter malam complexionem carnis in qua existunt aut propter sanguinem ad ea transmissum pro nutrimento corruptum

in qualitate et quantitate: in qualitate: sicut si fuerit acutus vel corrosivus, viscosus, grossus aut subtilis; acutus enim sanguis nedum vulneratam carnem, verum etiam bonam laedit. Similiter si fuerit grossus vel subtilis plusquam oportet, et plurimum ejus est propter maliciam complexionis epatis aut splenis, quare cognoscitur propter maliciam coloris corporis et formam ejusdem malam, et tunc primo convertendum est ad curationem maliciae epatis vel splenis cum flebotomia et ventris solutione et detur cibus, qui generat bonum sanguinem contrarie illius; deinde ad curationem vulneris redeundum est. Ita etiam si in quantitate peccaverit, cura fiat per contrarium, quare si ex plenitudine, fiat flebotomia; si minus, fomentetur cum aqua decoctionis salviae, lauri, masticis, rosarum calida, deinde membrum rubescat et ejus regimen ingrossandum. Mala autem complexio carnis, in qua est vulnus, aliquando fit ex caliditate aliquando ex frigiditate. Quodsi de caliditate fuerit, talia signa procedunt: scilicet rubor, calor et nimia sanies et subtilis. Si de frigiditate contraria videntur, scilicet de siccitate durities et asperitas et pauca sanies: si vero ex humiditate, mollities et multa et grossa sanies, et tunc contraria contrariis curantur: calida cum frigidis quae habeant stypticitatem, ut cum succo solatri vel aceto vel aqua decoctionis malorum granatorum et similium, frigida cum calidis, ut est ablutio vini tepidi, sicca cum humidis, ut fomentatione decoctionis malvavisci et in fomentatione non est nimis insistendum, quoniam attraheretur materia multa cum nocumento ad membrum. Et similiter emplastrum piceum hoc casu ponitur et medicamen administratum hujusmodi vulneribus sit minoris exsiccationis; humida vero cum siccis (curentur[1]), utpote bolo et aceto et similibus. Praeterea multotiens mala caro crescit in vulnere, cujus causa bona non nascitur; quapropter tunc medicamen acutum et corrosivum administrandum est, quod in capitulo de fistulis reperitur, donec penitus desiccetur, quoniam in carne addita nihil operatur natura, ideoque ejus adjutorium non expectes, sed artificialiter minuatur. Aliquando autem caro super labia vulneris induratur vel intus, cujus etiam occasione bona non nascitur et tunc oportet ut fiat in eo fricatio cum aliquo instrumento, donec sanguis fluat; si vero grossa fuerit, usque ad bonam carnem incidatur, deinde vulnus curetur. Ceterum aliquando variolae in vulnere superveniunt et tunc aeger flebotomandus est atque ejus venter solvendus est et cibo subtili nutriatur, et multotiens in vulnere profundo aliquid ossis frustulum continetur, cujus acuitas carnem pungit, quo vulneris sanitas retardatur; tunc ergo cum facilitate in ejus extractione studium impendatur; et quando vulnus tardatur et non recipit consolidationem omnino spatio longi temporis secundum modum praedictum, tunc curatio ejus est curatio ulcerum, unde proprium faciam capitulum.

---

1) Ergänzt nach Bruno L. 1, cap. 8.

Cap. 7. De natura medicinarum nec non de consideratione earum quae attendenda sunt circa complexionem membri vulnerati et totius corporis atque vulneris vel ulcerum[1]).

Medicamina quorum administratio est in vulneribus [necessaria[2])], ut eorum adjutorio reducantur ad sanitatem completam, diversificantur secundum diversitatem eorum nominum; nam alia dicuntur incarnativa sive conglutinativa, alia carnis regenerativa, alia consolidativa, sive cicatrizativa, quoniam diversificantur in operationibus earum, quoniam operatio medicaminis incarnativi diversificatur ab operatione medicaminis generativi et etiam civatrizativi. Medicamen incarnativum ut dicit Avicenna est illud, quod aggregat inter duo elongata et non oportet ut operetur nisi in superficie amborum faciens adhaerere ea cum rore, qui est in substantia amborum; natura vero ejus est exsiccatio vehemens absque abstersione, quoniam abstersio est contraria ejus intentioni; intentio ejus est facere illud quod colligitur de sanguine nutrimentum et adhaerentiam, sed abstersio abstergit illum sanguinem, quare fit ejus dispersio et ita consumitur materia, ex qua conglutinatio expectatur et non indiget diminutione in exsiccatione sicut carnis regenerativum, quoniam in carnis regeneratione indiget ut currat ad ipsum materia et illius materiei cursum prohibet exsiccatio; incarnativum vero non indiget illo, immo indiget exsiccatione fortiori cum pauca stypticitate. Medicamen consolidativum est illud, quod exsiccat superficiem vulneris donec fiat ut cortex custodiens super ipsam ex nocumentis quousque generetur cutis naturalis. Est autem ejus natura exsiccatio vehemens valde et stypticitas absque mordicatione et non eget etiam ut habeat mondificationem, quoniam vulnus in quo administratur non habet saniem, quae mondificari debeat et ideo in vulneribus saniosis hoc medicamen apponere evitamus timentes ne, sicut dicit Galenus, sanies cum vulnere solidetur, et sicut incarnativum indiget vehementi exsiccatione et pauca stypticitate. Sigillativum vero vehementiori exsiccatione et multa stypticitate indiget, quoniam necesse est ut recuperet quod est perditum per naturam vehementioris exsiccationis scilicet cutem, exsiccando humiditatem extraneam et radicalem vehementer. Et est sciendum, quod etiam consolidativum cum auxilio naturae addit in quantitate carnis usque quo consolidet. Medicamen faciens nasci carnem seu carnis generativum est illud, quod coagulat sanguinem sanum venientem ad vulnus in carnem et est ejus natura exsiccatio et mondificatio, non tamen modum excedens. Si enim in eo fuerit exsiccatio vehemens, fiet prohibitio sanguinis venientis, quare non habebit materiam generandi carnem, et similiter si fuerit in eo abstersio vehemens, removebit eum faciens ipsum sanguinem currere, quare consumeretur materia carnis inventa; oportet ergo ut non sit plurima exsiccatio, immo usque ad terminum i. e. ut gradum non multum transcendat aut sit propinqua complexioni membri subjecti sicut dicetur, neque abstersio fortis valde, immo pauca in

1) cfr. Bruno L. 1, cap. 10.
2) Ergänzt nach Bruno.

tanta videlicet quantitate, ut sordicies abstergatur absque mordicatione, quoniam mordicatio est contraria ejus intentioni et non eget ut habeat stypticitatem omnino. Consideratio autem quae attendenda est circa dispositionem complexionis membri vulnerati et totius corporis atque ulceris vel vulneris est quoniam si membrum in sui complexione multae fuerit humiditatis et vulnus vel ulcus non multae fuerit humiditatis, sufficit sibi exsiccatio pauca in gradu primo, sed si membrum fuerit siccum et [vulnus[1])] fuerit multae humiditatis, tunc erit necessarium etiam quod desiccat in 2^0 gradu et 3^0, ut reducat ipsum membrum ad suam naturalem complexionem et sic intelligendum est de toto corpore, quia licet curatio rei, quae extra naturam est per contrarium fiat; res tamen naturalis, ut dicit Galenus, debet consimilibus custodiri. Juxta etiam Johannem Damascenum emplastra atque unguenta secundum vicinitatem qualitatis et similitudinem complexionis illius membri esse oportet, cui apponuntur. Ergo ut diximus, si complexio membri fuerit sicca, medicina desiccativa convenit administrari, si vero fuerit humida, parum desiccativa necessaria est; verum si vulnera fuerint essentialiter multum humida, tunc medicina siccior aptetur i. e. contraria contrariis curantur; nam omne simile gaudet suo simili et augmentatur a beo et illud est contrarium nostrae intentioni ex parte rei extra naturam i. e. morbi, quoniam ipsa intentio est, ut morbus curetur et non augmentetur; sed ex parte rei naturalis non est illud contrarium, scilicet ut augmentetur per simile, immo est conveniens; res enim naturalis est natura et complexio membri. Quodsi duo vulnera reperiuntur in sanie modum aequalitatis habere, quorum unum est in sicco corpore et aliud in humido, illud quod est in sicco corpore magis oportet desiccare quam illud quod est in humido; quapropter thus et similia humido corpori debent administrari, quoniam eorum exsiccatio pauca est; ea vero quae sunt sicut aristolochia, yreos et similia, quorum multa est exsiccatio, sicco corpori sunt convenientia, quoniam sicut dicit Galenus, carnem quam generare volumus carni totius corporis similari necesse est. Quantitas vero et qualitas complexionis in libro complexionum Galeni sicut desideras invenitur; verum appositionis quantitas, sicut ipse testatur nullatenus describi posset; sufficit tamen, ut sibi administretur illud, quod vicinius est; natura quidem ex rebus sibi vicinioribus adjuvatur quod est minus supplens et superfluum expellens nisi modum nimis excesserint; modum enim nimis exeuntibus natura necessario deficit; verum artis frequentatio et longitudo temporis quae sunt propinquiora demonstrat. Oportet autem te scire quod cum administraveris medicinam carnis creativam et non nascitur ex ea caro, tunc medicina aut est ultra modum desiccativa aut minus quam oportet. Et signatio, quod medicina modum excedat in exsiccatione est, quoniam siccum vulnus et purum apparet; si vero saniosum, putridum et humidum apparet, patet medicinam appositam debilem siccitatem habere, quapropter si medicina nimis fuerit desiccativa tunc secundum quantitatem quae minuat superfluum humectetur, et similiter si fuerit debilis eodem modo addenda est exsiccatio et ex illis quae minorant virtutem

1) Ergänzt nach Bruno.

exsiccationis in medicina est additio in cera ejus et ipsius oleo, si fuerit emplastrum vel unguentum, et de eis, quae addunt ejus exsiccationem est, ut ingrossetur et minoretur et inspissetur ejus unctuositas, aut addatur ei sicut mel, et similiter observandum est, ut ne medicina in calefactione aut infrigidatione modum pertranseat; vulnus enim cum fuerit superflue calidum, circa illud rubor et calor apparent. Si vero infrigidatum contrario signatio reperitur, quare oportet medicinam aliam adhibere. Sane vero nonnulli medicorum sunt qui omnia vulnera ubicunque sint et qualiacunque sint, universaliter cum uno solo unguento credunt et asserunt se curare, quorum intentio procul dubio error est. Praeterea scias, quod corpora humida sunt puerorum, adolescentium, mulierum, eunuchorum et illorum, quibus carnositatis et pinguedinis est copia; sicca vero contraria intellige. Similiter membra sicca sunt, quibus parum sanguinis, carnis et pinguedinis est, ut sunt aures, nares, oculi, nervi, digiti et similia; humida sunt e contrario. Modus vero administrationis praedictorum medicaminum talis esse convenit, quodsi in vulneribus concavis in quibus est diminutio carnis et similiter in ulceribus profundis, in quibus est substantia carnis deperdita, primo debet administrari carnis generativum, praecedente tamen mondificatione, si fuerit ibi sordities et cum caro jam generata fuerit cum quantitate sibi necessaria, tunc administrandum est sigillativum ut cicatricem inducat. In parvis autem vulneribus a principio usque ad finem est opportunum sigillativum. Medicinae incarnativae, de quarum bonitate experimento et ratione ac testimonio veterum sum confisus, sunt sicut cortices palmae, arnoglossae, folia caulis, folia pentafilon cum melle glutinum[1]) pulvis molendini, et de oleis myrtinum et rosaceum, et de compositis est medicamen de lino et pulvis iste mirabilis: Rcp. olibani dr. 1, sanguinis draconis dr. 2, et calcis non extinctae dr. 3. Medicinarum facientium nasci carnem quaedam sunt leves in exsiccatione, quae in humidis administrantur corporibus. Leves quidem sunt sicut olibanum, mastix, myrrha, aloës, pix graeca, farina fabarum, farina ordei. Fortiores, sicut sunt aristolochia combusta, climia, dragantum adustum, opoponac, yreos, farina lupinorum et orobi. Et si de his unguentum componere velis, appone ceram et oleum, quoniam facit eas penetrare ad profundum. Medicinae consolidativae quas elegi cum testimonio rationis et exercitio multo, sunt sicut lithargyrum, centaurea minor, ossa combusta humana, rasina sicca pini, olibanum minutum, balaustiae, gallae, alumen, lumbrici terrestres, stercus lacerti, pes columbinus, et de melioribus est aristolochia longa combusta, colchotar combustum i. e. vitreolum rubrum, et fortasse medicinae, quae corrodunt et minuunt carnem, ut ait Avicenna, consolidant in vehementi humiditate et proprie quando aduruntur; verum flos aeris et medicinae quae sunt vehementis corrosionis, non conveniunt ad illud nisi cum magna cautela et in vulneribus et ulceribus multae humiditatis, aloës autem in partibus ani, et de compositis est emplastrum de lino.

---

1) Lücke im Manuscript, nach Bruno zu ergänzen.

Cap. 8. De sermone in ulceribus.

Composita autem ulcera alia dicuntur composita cum causis, alia cum morbo, alia cum accidentibus. Compositum cum causa est ulcus, ad quod materia influit et superfluitas et dicitur fistula. Compositum cum morbo aut componitur cum morbo, qui ex mala est complexione, aut cum organico aut cum solutione continuitatis. Compositum autem cum morbo, qui ex mala est complexione aut est calida aut est frigida aut sicca aut humida. Compositum cum organico: hoc autem est apostema aut caro superflua. Compositum cum separatione continuitatis hoc est aut in carne aut in osse aut venis aut nervis aut arteriis. Compositum cum accidenti: hoc est dolor gravis et intolerabilis. Medicanda sunt autem composita cum causis corporis evacuativis juxta illud quod ad ulcus in qualitate et quantitate influit et cibis illud pascere desiccantibus et subtilibus et prohibere ab humectantibus. Compositum autem cum morbo ex mala complexione calida sanguinem minui oportet patientem a latere ulceris, et si ex complexione frigida, tunc patiens calefacientibus est regendus; ulcus porro medicaberis cum unguento basilico aut nigro. Et si cum mala complexione sicca, ulcus cataplasmandum est oleo viol. et butyro et farina ordei vel orobi. Et si cum humida, corpus cum turbit est purgandum, et unguentis utere desiccantibus, quod cum balaustia sit et galla. Cum autem ulcus cum morbo componitur organico ex apostemate calido, tunc flebotomia utendum est ulcusque cum cerussae mediceris unguento. Quodsi cum ulcere caro est superflua, tunc medicamina adhibe competentia. Cum autem compositum fuerit cum solutione continuitatis in nervis, venis et similibus, tunc recurre ad propria cataplasmata. Quando autem componitur ulcus cum accidentibus, tunc erit curandum accidens cum medicamine, ut suo loco dicemus. Ulcera[1]), ut ait Avicenna, generantur aut ex vulneribus aut ex apostematibus corruptis aut pustulis, quia sicut jam verificatum est, postquam solutio continuitatis ab aëre mutata fuerit, ulcus dicitur, et non facit pus, nisi quia cibus qui ad vulnus transmittitur, convertitur ad corrosionem propter debilitatem membri, in quo est ipsa solutio aut [quia[2]] propter debilitatem suam et superfluitatem membrorum adhaerentium ei attrahuntur humores versus ipsum aut propter unguenta vel emplastra mollificativa et lenitiva membrorum cum multa sui humiditate et unctuositate. Inquit etiam Avicenna [quod id[2]] quod est de genere pus subtile nominatur sordicies et est coagulata et alba aut nigra aut est sicut faex. Et virus quidem non generatur nisi ex subtilitate humorum aquosorum calidorum et multiplicatur cum generatione apostematis; sordities autem generatur ex humorum grossicie et eget abstersione, quamvis virus indigeat exsiccatione, et est sciendum, quod non evacuatur, quando fistula omnis vel cancer nominetur ulcus, sed non convertitur, quod omne ulcus possit fistula vel cancer nominari. In hoc autem capitulo non est nisi de ulcere quod non appropriatur nomine fistulae vel cancri. Dico ergo secundum Avicennam,

1) Vergl. von hier ab Bruno L. 1, cap. 14.
2) Ergänzt nach Bruno.

quod ulcera aut sunt apparentia aut sunt concava, et quae sunt profunda non differunt, quoniam aut caro circumdans ipsa sit indurata [aut non indurata [1]]. Praeterea alia sunt [virulenta [1]] alia sordida et alia corrosiva et alia putrida et alia etiam difficilis consolidationis, alia vero monda et sine concavitate, quae quidem indigent tantum ut consolidentur cum eo, quod mordificationem non habet; sed alia secundum eorum diversitatem diversa requirunt medicamina. Ulcera profunditatem vero habentia indigent, ut carne repleantur. Verum oportet te scire, sicut Galenus testatur [quod [1]] caro generari non potest nisi ex sanguine per omnia membra corporis ad sui nutrimentum diffuso et assimilato; haec enim ex actione fiunt naturae; quare oportet te prae ceteris complexionem membri in quo caro est creanda atque complexionem totius corporis custodire et cibum boni chymi generativum praestare infirmo, deinde medicinam convenientem administrare. Quanto autem ulcus majus et profundius est fortiori indiget exsiccatione, quoniam multus sanguis fluit ad ipsum. Verumtamen oportet, ut ejus resolutio non sit cum multa siccitate, ut non resolvat quod ibi est subtile et grossum petrificet et induret. Et si ulcus in profundo virus contineat, duabus indiget operationibus, quarum una est ut lavetur, secunda ut taliter locetur membrum, quod virus effluere possit, ut capitulo de vulnere diximus. Ex illis vero, quae lavant ulcera sunt sicut mel et proprie cum vino et [aqua cineris ilicis [1]]. Fortis autem ablutio conveniens ulceribus multum sordidis est aqua cineris vitis et aluminis. Omnis autem ablutio vitanda est si fuerit cum ulcere apostema. Deinde tenta cum medicina carnis creativa intromittenda est. Si autem ulcera cavernosa et in fundo larga fuerint, injiciatur medicina lavativa ad profundum cum injectoriis i. e. clysteribus et oportet ut scias, utrum ulcus conglutinetur aut non, et significatio, quod ulcus conglutinatur est minoratio descensionis ejus et paucitas saniei cum bonitate ipsius, et sanies, cum qua est fiducia bonitatis, est alba, levis et aequalis quoniam consecuta est complementum digestionis, et maxime cum non associatur ei foetor horribilis. Corpora quae citius recipiunt consolidationem sive restaurationem ulcerum, sunt complexionis melioris sanguinei et non superfluunt in humiditate aut siccitate. Tarde autem recipiunt restaurationem corpora infantium propter abundantiam humiditatis et corpora senum, quoniam in corpore senum est parum de sanguine bono, immo ulcera senum non sanantur. Praeterea non sanantur, si abundat humiditas praeter naturam, unde hydropicorum curatio est difficilis, quoniam superfluunt in humiditate extranea et similiter ulcera praegnantium propter retentionem menstruorum et superfluitatum, et aliarum etiam mulierum, quibus menstrua retinentur. Et nos jam locuti sumus de medicinis carnis in vulneribus generativis secundum complementum in capitulo suo et nunc oportet, ut loquamur de quibusdam earum quae [pro [1]] melioribus expertae sunt et electae in ulceribus, et ex eis est centaurea, sarcocolla, plumbum ustum, antimonium adustum, limatiae adustae, polium et glutinum piscium. Et caveas tota diligentia tua ne cadas in errorem videlicet, ne medicina carnis creativa sit magis abstersiva quam

1) Ergänzt nach Bruno.

oportet quoniam si modum excedit corrodit membrum et carnem solvit ad humiditatem currentem quam stolidus medicus aspiciens aestimat esse virus et propter hoc addit in virtute abstersionis et illud [est [1]] pejoratio et destructio ulceris, et significatio, quod illa humiditas sit ex forti medicina, est concavitas ulceris, major more solito, calor et rubor et humiditas subtilis ad rubedinem protendens, quod [si [1]] provenit ex liquefactione carnis propter acumen medicinae et maxime si patiens [fuerit debilis [1]] sentit mordicationem et arsuram manifestam. Quodsi ita fuerit, tunc statim minue de virtute abstersionis. Ulcera quidem virulenta indigent ut administrentur in primis medicina exsiccativa ut mondificetur virus, quod postquam mundificatum fuerit medicinam carnis creativam decet administrari. Verum cum administratur medicina exsiccativa et non minuitur ex eo humiditas, immo potius videtur augeri, tunc scias, quod medicina secundum illud corpus non est exsiccativa; quare facienda est additio in confortatione ejus et adjuva eam cum abstersione pauca sicut mel et stypticitate sicut sunt balaustiae et alumen. Quodsi ulcus iterum superfluat in exsiccatione, tunc minue de virtutibus ejus scilicet de exsiccatione, abstersione et stypticitate. Quomodo autem illi, qui de prima et secunda fuerint secta, qui hoc per canones non sentiunt, ab errore evacuantur, quasi dicat nullo modo, sed ignorabit horum quilibet videlicet qualiter de uno ad aliud se transferre sit peropportunum; sed quocunque modo curabit, sua cura est mala. Et medicinae quae exsiccant ulcera virulenta sunt sicut balaustiae, gallae, alumen, cortices granatorum, cortices thuris, lithargyrum, flores papaveris rufi et farina ordei et ablutio aquae maris et aquae aluminosae congruunt ad exsiccationem virus, et de compositis est hoc approbatum: ℞ lithargyrum pulverizatum, et cum ol. ros et aceto vicissim in mortario ducantur donec tumescat et albificetur, deinde sume antimonii calcumenon, balaustiarum [2]) vermium terrestrium, gallarum, sanguinis draconis, aluminis, climiae, argenti, omnium āā quantum est sexta pars totius unguenti, pulverizatis desuper paulatim appositis et agitatis. Inquit Avicenna quod cum fit emplastrum de foliis vitis recentis aut de nuce recenti decocta cum vino confert valde desiccando humiditates absque nocumento. Oportet autem ut in ulceribus sordidis administretur medicina abstersiva cum mordicatione; sed est imprimis incipiendum ab eo quod est fortis mordicationis, quousque sordicies mordificata fuerit, deinde medicina carnis creativa administretur. Et de medicinis, quae abstergunt ulcera sordida, sunt sicut yreos cum melle aut farina orobi cum melle aut aristol. long. cum melle et de aceto et de compositis est illud, quo Rases in Almansore utebatur: ℞ floris aeris, mellis puri āā dr. 4; ex his mixtis fiat medicamen et si apponatur plus de melle alleviatur mordicatio ejus: Aliud: ℞ faecis ol. ros., aceti puri, mellis āā dr. 2, aristol. long., aluminis [3]) yreos, cerusae āā dr. $^1/_2$, zimar dr. 3, omnia simul misceantur et fiat unguentum; hoc autem mirabilis est operationis;

---

1) Ergänzt nach Bruno.
2) Lücke, nach Bruno zu ergänzen durch curcuma.
3) Lücke, nach Bruno durch iameni zu ergänzen.

carnem corrodit mortuam. Aristolochia autem longa magis convenit in ulceribus quam rotunda, quoniam est magis abstersiva, rotunda vero in vulneribus, quia fortioris est operationis et subtilioris actionis. In curatione ulceris regula est, ut primo corpus mondificetur et etiam membrum. Mondificatio quidem membri fit cum ventosis aut sanguissugis appositis super ipsum, deinde in curatione festinemus, ne incurrat ad pejus. Et multotiens ambulatio corrosionis cogit nos incidere membrum, ut vita salvetur. Et scias, quod ex ulceribus corrosivis sunt cum quibus non est putrefactio, et sunt quae non evacuantur a putrefactione, quare distinguenda sunt, antequam ad curam accedas. Et ea quae conferunt ulceribus corrosivis, cum quibus non est putrefactio, sunt sicut embrocationes ex aquis infrigidantibus exsiccantibus, sicut est aqua myrti et aq ros., aqua pluvialis et acetum; verumtamen si in eis est putrefactio, tunc aqua maris et aqua cineris conveniunt. Avicenna: melior curatio eorum est administratio stypticorum exsiccantium infrigidantium sicut sunt cortices granatorum, grana myrti, semen rosarum et emplastratio ex foliis acetosae cum vino bulliente. Galenus autem ulcera corrosiva, ignem persicam et formicam ambulativam nominavit, et cum hujusmodi ulcera superfluunt in putrefactione necesse est ignis cauterium administrare aut medicinam acutam, et deinde apponatur butyrum ut escara cadat in pus et quandoque administramus sectionem ita, ut non remaneat nisi caro bona, quoniam licet non sint ista ulcera fistula et cancer, tamen sunt mala et fraudulenta. Ex medicinis autem quae administrantur, sunt sicut caro piscium sallita cum aliquantulum mica panis aut farina orobi, aristolochia, pulvis cucurbitae siccae cum melle aut emplastrum de cepe in vino cocto, et de compositis est hoc: ℞ calcumenon aeris usti, cerussae, thuris, masticis, lithargyri, armoniaci, opoponacis aa dr. 2, adipis renum vaccae, resinae, ol. myrtini, cerae aa dr. 3, quae sunt solvenda solvantur in aceto et terenda terantur deinde omnia simul conficiantur, et oportet ut scias, quod multotiens ex medicina diffusa ad locum ulceratum apostema generatur et tunc non differatur in eorum apostematum prohibitione cum ventris solutione et flebotomia, et emplastretur locus cum eo quod prohibet apostema et si non est possibile, ut prohibeatur, immo apparet apostema, tunc sit occupatio in ejus curatione tantum, quoniam impossibile est apostema cum ulcere curare; ulcera enim difficilis curationis, ut testatur Avicenna, sunt absolute praeter corrosiva et praeter putrida, sicut est commune praeter propium, et ipsa enim ambo sunt ambulativa et cum istis quandoque non est ambulatio et stant per dispositionem suam et per aliquod spatium et vere ista praeter fistulas, quoniam non sunt incedentia et ad ultimum corrosiva et putrida, et de ultimis medicinis quibus curantur ulcera difficilis consolidationis sunt sicut limatura aeris, limatura ferri, flos aeris adusti et vitreolum rubeum. Et de compositis est medicamen, quod R: flos aeris, limaturae ferri aa dr. 5, cachimiae, auri aa dr. 8, gummi cypressi dr. 4, sal gemmae unc. $1\frac{1}{2}$, aristolochiae longae adustae, minuti thuris aa dr. 6, cerae, ol. myrtini aa q. s, fiat ex eis unguentum, et non oportet ut administretur oleum in ulceribus, nisi sit vehementis exsiccationis et stypticitatis sicut est oleum myrtinum, ros,

masticinum et similia, quoniam intentio curationis omnium ulcerum est exsiccatio et propter illud oportet, ut non praesumas administrare in eis mollificativa, nisi sint ulcera ex contusione facta, sicut diximus alias, aut ulcera cum vehementi dolore, in quibus apponere non excusatur licet ulceribus sint contraria et si ulcus prolongatur et non sanatur, immo jam fecit impressionem in membro et putrefacit et corrodit et ejus substantiam destruit, tunc non expectetur ejus curatio nisi secundum profundum et praecipue cum antiquatum est et pertransivit spatium sex annorum lunarium, quoniam factum est fistula vel cancer.

De casu et percussione capitis sine manifesto vulnere[1]).

Cum quis percutitur capite cum lapide, fusti vel tali aut casu et non frangitur cutis, oportet medicum considerare, utrum craneum sit fractum vel non. In prima visitatione humectentur capilli cum decoctione vini pontici et myrtillorum et ol. ros., et removeantur, et si fuerit percussio vel laesio, unde sit timendum de fractura cranei, fiat tale experimentum: ℞ cerae virgineae ℔ $^1/_2$ pulveris thuris dr. 1, axungiae vel sagiminis porci ad ignem omnibus liquefactis et apposito thure manibus malaxentur et fiat capillus et super caput dimittatur per diem et noctem, et si craneum fuerit fractum, capillus erit subtiliatus vel fractus super fracturam cranei et percipitur etiam per aliqua signa fracturam concomitantia, et sunt vomitus colerae et syncopis hora casus vel percussionis, nigredo oculorum vel fuscedo circa ipsos cum quadam concavitate et cum rubedine venarum, vertigo et scotomia; nam cum stomachus continuetur cerebro mediante quodam magno nervo, in omni lesione capitis ex percussione forti debilitatur stomachus et compatitur cerebro ex affinitate et currunt humores ad ipsum et propter debilitatem non potest stomachus retinere, sed evomit et sic vomitus super fortem laesionem capitis cum scotomia signat mortem et sic ex hac eadem causa provenit rigor, qui signat futurum spasmum et ultimo mortem, et debilitas mentis cum parvitate somni vel vigiliarum et febris cum istis, si fuerit attritio magna et tempore aestatis infra dies tres et tempore hiemis infra 4 et si in modum rimulae in 11^0 in aestate et 14^0 in hieme et etiam per tactum poterit medicus attritionem perpendere et debes hoc secretum norare, quod si illa in percussione forti vel casu sine laesione cerebri frangitur aliquantulum parva, super duram matrem vel piam matrem egreditur sanguis et spanditur super miringas et ibi putrefit, ex cujus putrefactione sequitur putrefactio miringae primae, deinde secundae et ultimo cerebri, unde sequuntur accidentia et mors, nec potest medicus de hoc bene pronosticare nisi per febrem et alia accidentia mala, et de hoc casu multi reputantur ignorantes et infamantur et pro tanto de istis percussionibus sit de nostra secta quilibet cautus salutem non promittere. Et accidit quandoque quod quando quis percutitur in capite aliquo ense vel simili, unde sequatur fortis laesio ita ut superveniat paralysis, quod quando laesio fuerit in parte dextra, paralysis fit in sinistra et e contrario et per hoc scitur, quod nervi

1) Vergl. Saliceto L. 2, cap. 1.

qui veniunt ad partem dextram, radicaliter sunt in sinistra et e contrario. Cura: post remotionem capillorum fiat flebotomia de cephalica ex contraria parte laesionis majoris, si consenserint debita, vel ventosatio cum cufis in spatulis et fiat, ut assellet omni die, quia multum alleviat trahendo materiam ad inferiorae et vitat apostema. Si autem viderit per capillum et alia signa quod sit in craneo contritio vel rimulatio, incidatur cutis secundum crucialem figuram vel semicircularem, ut tota cranei videatur laesio et impleatur vulnus undique ita quod labia vulneris inversentur cum stupis decenter adaptatis a plumaceolis infusis in ol. ros. tepido in hieme mixto cum vitello ovorum et non cum albumine, quia nihil deterius in fractura cranei et vulneribus capitis quam frigidum; in aestate vero securius albumen apponatur. Si vero indigeat constrictione sanguinis propter incisionem alicujus venae, pone hunc pulverem cum albumine ovi: ℞ gipsi, draganti, telae araneae, pennae combustae, omnium ana; omnia pulverizentur et subtiliter cribentur; in hoc autem intinguntur plumaceoli et ponatur super epar ventosa sine scarificatione; secunda vero die aut tertia mondificato sanguine considera fracturam cranei utrum fuerit occulta aut manifesta; si autem fuerit occulta, pone encaustum super craneum et apparebit rimula denigrata, et cum certus fueris de fractura cranei oportet te considerare in remotione ossis figuram laesionis cranei et naturam loci laesi et debilitatem infirmi. Si autem craneum in laesione sua fuerit depressum, ita ut comprimat myringas et non separetur a circumferentiis, aut in separatione sua intraverit sub osse satis aut non intraverit aut fuerit fractura cranei rimula occulta aut manifesta aut circularis aut semicircularis: si autem fractura cranei fuerit linealis occulta vel manifestatur tibi per encaustum ut dictum est, et tunc procede cum raspatorio dilatando ipsam usque ad profundum rimulae removendo de craneo ab utroque latere usque ad duram matrem si necesse fuerit, et si fuerit juxta juncturam evitare de movere (?) in removendo os hora trepanationis vel raspationis, aures infirmi cum bombace obturentur, ut sonitum instrumentorum infirmus non timeat; procedere autem oportet in omni laesione cranei cum raspatore aut trepano secundum laesionis figuram; nam si fuerit secundum longitudinem fiat linealis, si autem circularis, removeatur os totum circulariter; si vero semicircularis, semicirculariter trepanetur de parte laesa. Si autem craneum fuerit depressum non separatum a circumferentiis, removeas partem depressam trepanando in circumferenciis ossis sani usque ad profundum, ita ut depressum eleves secundum quod melius tibi videbitur expedire. Si autem craneum depressum separatum fuerit a circumferentiis conare ad removere de sano craneo et mollificare depressum cum ol. ros. tepido, ita quod per remotionem sani cranei et per mollificationem laesi leviter sine dolore et sine distensione et ulceratione myringarum possit pars depressa a medico removeri. Si autem pars depressa subintraverit craneum sanum: aut pars illa quae subintraverit est minor fractura cranei aut major: si minor fuerit, mollifica eam cum ol. ros., de intra extrahere eam sine; deinde fiet sicut dicemus. Si autem pars depressa major fuerit fractura, removeas de osse sano cum trepano tantum, quod illam possis partem depressam post mollificationem cum ol. ros. leviter et suaviter removere. Est etiam consideranda

virtus infirmi; nam si infirmus fuerit debilis puer vel decrepitus debes procedere cum operatione tua, quae fit cum trepano, scarnagatore (?) et raspatore leniter et suaviter, et quod facis in forti in una hora, debes in istis facere in tribus successive in una die vel duabus. In pueris aut parvulis poteris aliquando removere cranei laesionem solum per impositionem ol. ros. cum melle mixti et superponere folia caulium et hoc propter teneritatem ipsius ossis; naturam autem loci considerare oportet, quoniam si fractura fuerit continuata cum junctura vel prope juncturam est timorosa in laborando cum ferramentis, quia per juncturam egrediuntur nervi et villi et parvae venulae et arteriae, ex lesione quorum cerebrum et panniculi recipiunt alterationem et dolorem et fit causa apostematis cerebri et myringarum, deinde causa mortis, unde si laesio prope fuerit juncturam vel in junctura nullo modo praesumas in remotione cranei laesi approximare ad juncturam cum ferramentis sed cum mollificativo et confortativo conare laesum removere; nam impossibile est operari cum instrumentis ferreis in junctura, quoniam laedantur nervi et incidantur panniculi et ligationes, quibus juncturae cranei ad invicem ligantur, et sequitur in cerebro et pia et dura matre apostema, ultimo vero mors. Remoto osse in toto vel in parte usque ad duram matrem, recipias petias lineas mondas et infunde in oleo ros. et melle ros. mixtis et loca eas secundum debitam figuram inter os cranei et duram matrem leviter et suaviter ita quod dura mater nec cerebrum ex compressione dolorem non incurrat et ne per hoc locus, scilicet dura mater, apostemetur et sic leniter et suaviter ponas petiam super petiam in tantum quod foramen cranei repleatur, deinde cum plumaceolis secundum formam vulneris aptatis impleas vulnus cutis et eodem oleo et melle involutis et cum repletum fuerit, inungas vulnus undique ol. ros. et bolo armenico mixtis, deinde habeas stupas magnas in vino calido tempore hiemis madefactas et expressas et ponas super vulnus cooperiendo ipsum undique, deinde liga locum et totum caput cum binda et desuper ponas capillum pellis agninae. Caveat autem toto posse ab aëre vulneratus in capite, quoniam nihil est, quod ita immediate laedit cerebrum et partes ejus quemadmodum aër. Mutetur autem in hieme hora tertia vel sexta, in camera primo carbonibus accensis calefacta et candela illuminata, in aestate sine carbonibus, et si ad lumen solis mutetur, caveat a vento et aëre quantum potest, procureturque ut venter sit largus, et si myringa post remotionem ossis aliqua denigretur occasione, appone unguent. de ol. ros. et melle ros. et pulvere thuris alb.; hoc autem locum confortat et nigredinem abstergit; hoc unguentum apponatur a die remotionis cranei usque ad perfectam consolidationem durae matris cum craneo; tamen a principio non apponatur pulvis thuris, et si vides quod non operetur signum est mortis. Et cum incarnata fuerit cum craneo dura mater, apponatur pulvis incarnativus: R. thuris albi cyperi, nucum cypressi, myrrhae, hoc autem in hieme; in aestate R., mummiae, thuris, drag., gummi arab., sanguinis draconis aa unc. $^1/_2$, et desuper apponatur fila decenter aptata secundum figuram laesionis, deinde stupas superponas in vino madefactas expressas et ligetur. Sunt autem quidam murmurantes ex infirmis dicentes, quomodo sine unguento me curare credis? Quibus sic satisfacere probavi et bonum inveni: addidi

autem ceram, ol. ros., resinam pulveri supradicto et unguentum composui et de hoc usus sum; si autem caro mala super duram crevit matrem, secure cum unguento removeatur apostolorum. Si autem fractura fuerit in carne sine cranei laesione, tunc non est praesumendum apponere unguentum sive aliquod unctuosum immediate super craneum sive alb. ovi, sed solum petiam sine aliquo liquore et de hoc una est regula et est: quando craneum acute discoopertum ab aëre tangitur, incarnationem non recipit nisi prius expolietur aut abradatur cum raspatore et desuper incarnativum apponatur. Si autem cadens vel percussus fuerit sine laesione cutis et cranei, non indiget alio nisi abrasione capillorum et appositione emplastri, cujus haec est receptio: R. ol. ros., sandal. alb. et rubr., bol. arm., rosar. rubearum, flor. camomill., fol. myrti aa. Dieta horum omnium, qui per hunc curantur modum, talis esse expedit: a prima die percussionis usque ad 7um diem subtilis sit et temperata, ut succus farri vel ordei aut amgyd. aut cucurbita condita cum lacte amygd., deinde incipe post 7um diem reficere infirmum cum carnibus edinis vel pullinis coctis cum lactucis vel portulacis confectis cum agresta et post incarnationem durae matris extrema dentur animalium et carnes assatae, ut grossus humor et viscosus generetur, ut fiat porus sarcoydes loco ossis deperditi; abstineat ex toto a vino, qui cranei laborat laesione et post haec supradicta curatur, quoniam nihil est quod ita percutiat caput ratione fumi ascendentis quemadmodum vinum; bibat autem vinum de granatis cum aqua[1]) , aquam decoctionis zuccari veteris aut aquam coctam cum mica panis aut aquam cum zuccaro rosarum, quia ista confortant. Os stomachi quidem debilitatur in omni percussione capitis propter affinitatem quam habet cum cerebro ex nervo derivante a cerebro ad os stomachi et propter hanc affinitatem compatitur cerebro et currunt ad stomachum humores et fit vomitus. Est autem et alius modus curationis magistri mei. V. cum potione et emplastro: potio, quae datur vulnerato ad pronosticandum utrum debeat evadere vel mori, est succus pilosellae cum melle mixtus et detur ad bibendum vulnerato de hoc medium cyfum tepidum stomacho jejuno, et si prima die venerit malum signum, et si secunda etiam foras ejecerit, pejus, si vero tertia die eodem modo vomuerit, pessimum et omnino desperandum; si eam conservaverit, evadet, et si per hanc potionem et alia accidentia vides signa salutis, tunc fiat potio, quam damus in capite vulneratis, cujus autem virtus derivatur ad vulnus et ejus consumat putredinem et magnam vim habet consolidandi: R. gariofilatae, pulegii aa manip. $^1/_2$, consolidae majoris sive minoris, betonicae aa m. 1, plantaginis, polypodii aa m. $^1/_2$, omnia conquassentur in mortario et bulliant in olla nova cum vino albo et melle dispumato usque ad consumptionem tertiae partis et in fine addatur de croco et cinamomo, bibat autem stomacho jejuno patiens actu calidum, et si eam bene retinet bonum est signum. Si autem eam ejecerit omni mane usque ad 5am diem timendum est de infirmo et non intromittendum; sed si eam retinuerit, bibat usque ad 20am diem et super vulnus nisi non fuerit laesio cranei ponantur folia caulis rubei. Si autem

1) Lücke.

magna fuerit in craneo laesio, ponatur super ulcus emplastrum, cujus haec est receptio: sumatur de radice arundinis unc. 2, de magnete dr. 3, de pulvere polypodii et pulvere foliorum caprifolii aa dr. 5, de spolio serpentis unc. $^1/_2$, de radice costi unc. 1, de aristol. rot. dr. 6, de cera, terebintina, galbano et melle dispumato aa, pulverizanda pulverizentur et liquefacienda ad ignem liquefiant et in fine addantur pulveres. Alia potio generalis valde efficax, ubicunque fuerit vulneratus: sumatur de semine plantaginis, de semine canabino aa unc. 2, de caprifolio, de rubea majori, consolida minori, lanceolae, linguae avis, conquassentur et bulliant cum melle dispumato usque ad consumptionem tertiae partis; in fine apponatur crocus et cinnamomum, et de eo bibat patiens cyfum unum actu calidum et super vulnus, si non fuerit concavum aut cum deperditione apponatur eufragia pistata aut caprifolium; si autem concavitatem habuerit aut confrictionem ossium apponatur de emplastro nostro supradicto; si autem cum deperditione fuerit substantiae, superponatur unguentum carnis regenerativum; carne regenerata apponatur hoc emplastrum: R. eufragiae, caprifolii, linguae arietis, centaureae, linguae avis, berbenae, pistentur et simul incorporentur et fiat emplastrum et superponatur.

Cap. De vulnere capitis sine fractura ossis.

Fracturae cutis capitis plures sunt species et figurae ejus diversae et causae ejus sunt distinctae; nam ex fractura est, quae fit a percussione cum ferro aut ligno sine casu et similibus illis ex rebus multis. Dico ergo quod quando accidit in capite vulnus simplex et non est fractura ossis, considera tunc, si est ex jactu lapidis aut ligni aut eis similibus et jam fregit cutem tantum et est vulnus magnum et times super infirmum eventum apostematis calidi, tunc ex summis praevisionibus est, ut flebotometur infirmus ex cephalica ex parte contraria, si non fuerit prohibens aliquid et praecipue si sanguis a vulnere fuerit egressus paucus et laxetur corpus, et caveat infirmus a repletione cibi et potus nec appropinquet carnibus quousque vulnus ab aëre fuerit mutatum et ab apostemate securum. Cum autem accesseris ad eum, qui est in capite vulneratus et certus fueris, quod non est laesus in craneo, primo capillos humecta et capite abraso ungatur cum ol. ros. et bolo arm. et aq. ros. et vino in aestate frigido, hieme vero calido. Hoc autem defendit membrum quodlibet vulneratum ab apostemate calido, super vulnus vero si parvum fuerit, ponantur plumaceoli decenter facti et alb. ovi intincti. Hoc autem dico cum primo fuerit vulnus cum suo sanguine; ipso autem refrenato apponantur cum ol. ros. et alb. ovi in aestate, vitello vero in hieme et desuper stupas decenter factas et vino madefactas et expressas frigidas et calidas secundum temporis diversitatem. Visitatione vero facta consideret medicus super vulnus scilicet de fractura cranei, de flebotomia, de largitate ventris, de forma vulneris, de fluxu sanguinis si contingeret. Si autem ad alteram partem cutis pendeat, diligenter ad statum reducatur naturalem et si necesse fuerit suatur et pulvis iste superponatur: ℞ olibani p. 1, sanguinis draconis p. 2, calcis non extinctae p. 3, et cum pulvillis diligenter caput ligetur nec multum strin-

gatur, ut dolorem inducat, quoniam unum est de his, quae faciunt currere materiam apostematis ad locum, ideo tractet medicus membra vulnerata sine dolore. Si autem carnis vulnus fuerit magnum, non requirit suturam nec pulverem, sed post mondificationem sanguinis requirit digestiva, mondificativa et ultimo consolidativa sive cicatrizativa. Unguentum digestivum: ℞ laudani unc. 1, resinae unc. 2, ol. camomill. unc. $1^1/_2$, terebinth., cerae aa unc. 1. Unguentum mondificativum: ℞ myrrhae, sarcocollae aa dr. 6, resinae pini unc. 1, ol. ros. unc. $1^1/_2$, aluminis zuccarini dr. 3, cerae unc. 1, mellis ros. colati dr. 3. — Unguentum incarnativum: ℞ thuris, masticis, aloës, sarcocoll. aa unc. 1, sanguinis drac. unc. $^1/_2$, galbani, colofon. aa unc. 1, lithargyri triti, ut alcohol unc. 1, cui admisceatur ol. ros. unc. 3, coquantur agitando lithargyrum, galbanum et ol. ros., deinde deponantur ab igne et pulveres apponantur. — Unguentum consolidativum: ℞ mummiae dr. 6, nucum cypressi dr. 8, fol. linguae arietis dr. 4, terebinth. unc. 1, ol. ros., cerae aa unc. $^1/_2$, ad ignem conficiantur. Unguenta autem in capitis vulnere apponere non laudo; verumtamen, qui per hanc viam curare et sine potionibus intendit, his nostris dictis acquiescat, quoniam nullam hac meliorem poterit sequi doctrinam.

Cap. De vulnere capitis cum manifesta fractura ossis.

Species fracturae cranei sunt multae et ejus causae sunt distinctae et figurae ejus diversae; nam ex fractura est quae fit a casu super lapidem aut percussione cum ense, cutello, ligno et his similibus. Ex his aliquando percussio aufert os totum usque quo pervenit ad duram matrem aut incidit quidam ossis et incidit faciem ejus et non penetrat incisio vel fractura usque ad ultimum ejus, et est vulnus harum duarum fracturarum aut magnum aut parvum, et ex fractura est, quae est contritio aut attritio et causa ejus est aut percussio cum lapide aut ligno aut casus super corpus durum aut eis similia, et est hoc etiam aut parvum et magnum et est aliquando penetrans ad miringam aut est in facie ossis, et ex fractura est, quae est occulta in osse in subtilitate capilli et est capillaris et est fissura sive rimula parva. Et ex ea est fractura, quae fit a casu aut percussione corporis duri, quae facit ingredi laminam ossis ad interiora et fit loco concavitas sicut accidit caldariis aeris, quibus accidit percussio et fiunt quibusdam speciebus fracturae satagiae separatae et cognoscimus omnes has species fracturae per detectionem super eas et inquisitionem earum cum tentis et ablationem cutis et ego veniam cum rememoratione illius totius in loco suo. Cum autem ad curam accedimus, primo quae dicta sunt superius observanda sunt scilicet humectatio et remotio capillorum et sanguinis restrictio, et defensivum in circumferenciis superpone visitatione quidem secunda vel tertia, si vulnus non fuerit apertum, incidatur secundum hanc figuram T et si hoc non sufficit, fiat crucialis, cujus haec est figura +. Quarta quidem visitatione vel quinta inquiratur species fracturae cranei. In curatione autem fracturae cranei considera in primis accidentia infirmi, tunc si vides ex accidentibus, quod significat signa manifesta super timorem sicut vomitus colerae, rigores, permixtio

intellectus, syncopis et febris acuta et egressus oculorum et rubedo eorum et similia eis, ex accidentibus in pluribus dispositionibus procul dubio non sanatur et tunc melius et laudabilius est non intromittere. Si autem non vides accidentia terrentia super infirmum et speras in eo salutem, tunc incipe in curatione ejus et est si pervenerit ad manus tuas vulneratus in primis cum vulneratur et est illud in diebus hiemis, tunc oportet ut studeas in ablatione ossis ante diem decimum secundum omnem dispositionem, et si est in diebus aestatis, tunc oportet ut procures removere os ante diem septimum antequam ex putredine corrumpatur aliqua ex myringis et accidant ei accidentia, quae narravi. Et si fractura ossis jam pervenerit ad duram matrem et est continuatum attritione, tunc oportet, ut incidas partem continuatam attritam secundum quod ego narro tibi et est secundum unum duorum modorum operationis: modus quidem unus est, ut perfores craneum cum terebris, cujus extremitatis acutae quantitas in longitudine et brevitate sit secundum quantitatem spissitudinis illius cranei, unde convenit tibi, ut accipias ex istis terebris numerum multum, quorum unumquodque conveniat quantitati spissitudinis oris et haec est forma trium terebrorum [1]): — Qualitas autem perforandi in circuitu ossis fracti est ut ponas terebrum super os et revolvas ipsum digitis tuis, donec scias quod os penetratum est mutando scilicet terebra, de quibus fuit tibi trita parata bene acuta et violata, deinde permuta terebrum ad locum alium et pone quod est inter omne foramen quantitatem grossitudinis radii aut circiter illud, deinde incide cum forcipibus quod est inter omne foramen ex osse et fac illud, quam subtilius potest super illud ex fine lenitatis, donec eradices os aut manu aut cum tenaculis, et oportet ut caveas cum omni cautela radas et aeques asperitatem ejus quod remanet in osse cum instrumento alio simili incisorio; verumtamen oportet ut sit magis tenue et subtilius quam reliqua incisoria, quae si remanet aliquid ex ossibus parvis et satagiae, tunc accipe ea cum facilitate cum eo quod est conveniens ex instrumentis, deinde cura, ut infra suo loco dicetur. Et modus alius operationis est, qui expedit, si fractura fuerit rimalis vel capillaris, ut radas os cum raspatoriis strictis aciei et acutis in ultimo acuitatis et si fractura ossis non penetrat usque ad panniculum et illud quod abscinditur ex osse est facies ejus et remanet in ipso asperitas et satagiae subtiles, tunc oportet ut radas illam asperitatem et eradices illas satagias cum raspatoriis subtilibus, ex quibus oportet praeparare numerum diversarum quantitatum ut sit tibi possibile administrare ex eis in omni loco secundum illud ad quod perducit te operatio. Et oportet ut administres in rasione tua quam inprimis radis os latius illorum raspatorum, deinde utere post ipsum subtilioribus eo et non cesses facere illud secundum continuitatem. In utraque autem reliquarum scissurarum parvarum capillarium oportet ut administres curam secundum illud quod perducit ad certificationem ejus, et haec est forma raspatoriorum [2]): Cum autem panniculus retindetectus (?) cum eradicaveris, tunc oportet, ut accipias pannum lini subtilem secundum quantitatem vulneris et submerge

1) Fehlt.
2) Die Figuren vergl. bei Pagel p. 183.

ipsum in ol. ros. et melle ros. et pone super panniculum; deinde accipe alium pannum duplicatum et submerge ipsum in vino et reprime et pone super primum pannum et fac illud, quod facilius potes super illud, ut non gravetur cerebri panniculus et deinde administretur super ipsum ligamentum latum. Cum autem vulnus digestum fuerit, administratur omne medicamen de cujus proprietate est ut abstergat et non mordicet sicut est pulvis thuris. Et cave secundum tuam virtutem, ut vulnus in curatione tua sit limpidum usque fit in eo sordes unguenti nec sordicies nec virus aggregetur in eo ne panniculus inficiatur. Si autem nigredo panniculi accidit a medicinis tunc potest emendari cum melle ros. et ol. ros. et linias cum hoc unguento pannum et ponas super duram matrem et sub osse et circumferentiis in ultimo levitatis, ne comprimas panniculum, ut quidam sectarum faciunt. Vidi autem quendam in capite percussum, quem duo de prima et secunda secta tenebant in cura osse elevato et panniculo discooperto, quem sine malicia et laesione invenerunt; medicando autem ipsum in tantum compresserunt, quod apestematus est et tumefactus extra ossis orificium, unde mortuus est in fine duorum mensium solarium. Hoc autem non fecere nisi modi levitatis discretionis et propter parvitatem speculationis in rebus particularibus. Alius modus est per potiones et emplastra.

Cap. De extractione sagittae vel cutelli penetrantis craneum.

Si vero sagitta vel cutellus est infixa in osse capitis usque ad profundum ossis et jam penetraverit myringas usque ad aliquod ventrium cerebri et apparent in infirmo quaedam illorum accidentium quae dixi, tunc abstine ab extractione sagittae et dimitte eam donec componat et ordinet facta sua et non invocet medicum, quia tunc mors non prolongatur ei, nam ut plurimum in extractione sagittae moriuntur, si pertransierit ad cerebrum, quoniam secum exalant spiritus et calor et deficit sensu et motu. Cum autem extrahere volueris humectatis capillis et abrasis scindatur cutis triangulatim et confortetur locus cum bolo arm. et ol. ros., et si tertia die fortis ad extrahendum fuerit, trepanetur os sagittam circumdans et sic cum tenaculis ferreis capiatur et parum ducendo extrahatur, et si sagitta non est fixa nisi in corpore ossis tantum et non penetrat usque ad panniculum et remanet infirmus aliquot diebus et non accidit ei ex illis acidentibus malis aliquid, tunc ingenia in extractione ejus. Si autem non obedit tibi ad extractionem, tunc administra terebella in circuitu sagittae sicut narravi, deinde cura locum ut superius dictum est. Idem est ratio de cutello et quolibet ferro craneum perforante et ibi remanente. — Haec est forma tenacularum [1]): — Si autem volueris procedere in curis his cum alio nostro modo curationis, utpote potionibus et emplastris, securius vinum forte dare potes scil. purum et subtile, quoniam nostra potio maliciam ipsius fumositatis destruit. Praeterea cum istis nostris curis vulnera digerit et consolidationem accelerat, aqua autem ea crudificat, unde sanitatem retardat.

---

[1]) hlt.

De vulnere in naso et tota facie[1]).

Vulnus in naso et facie factum cum ense et similibus quandoque fit secundum longitudinem faciei et nasi, quandoque secundum latitudinem et cum hoc quandoque est largum, quandoque est strictum. Praeterea quandoque est cum deperditione substantiae, quandoque sine deperditione ossis vel cartilaginis. Si autem vulnus fuerit sine deperditione substantiae non indiget alio nisi ut continues partes distantes cum sutura et plumaceolis et desuper ponatur pulvis consolidativus, deinde folia eufragiae conquassata aut linguae arietis aut succus eorum cum pulvere; hoc autem consolidat sine generatione saniei. Attende, quomodo sutura in istis locis fiat; nam quanto sutura in nobiliori fit membro, tanto melior et decentior esse oportet: sutura autem fieri debet cum acu triangulata subtili et longa cum seta duplicata aliquantulum incerata, quoniam minoris est doloris et tardioris incisionis et majoris durabilitatis quam non incerata. Modus suendi variatur secundum diversos et varios autores; nam quidam suunt cum nodis et nectatione et in hac sutura revolvitur filum in prima nectatione bis et in secunda semel, ut nodus firmior remaneat et dimittitur inter unum punctum et alium distancia aliqua. Fit etiam sutura cum appositione plumaceolorum et bindarum ex utroque latere vulneris et suuntur inde capita bindarum. Item fit sutura cum dimissione acuum in loco circa quas acus involutum filum ter vel quater formatur, et haec sutura non fit nisi in membro magno. Suunt etiam quidam sicut pelliparii et haec sutura pulchrioris est cicatrizationis. Hanc autem in hoc loco et in labiis laudo licet videatur sutura parvae scientiae. Si autem fuerit deperditio substantiae ossis sc. carnis vel cartilaginis, conare regenerare aliquid loco ossis et si deperditio cartilaginis vel carnis, toto posse et ingenia illas regenerare, et si fractura fuerit in parte una, intromittatur licinium in illa parte, si in duabus partibus duo licinia albumine ovi infusa et pulvere consolidativo, et quandoque intromittitur loco licinii penna anseris, postquam involveris super ipsam pannum lini et cum aliis necessariis et fit, ut teneat partes nasi firmius et ut non prohibeatur ab inspiratione infirmus, sed non est res necessaria, quoniam per alios corporis meatus infirmus inspirare et respirare potest et de foris emplastra cum ceroto facto ex medicinis ad hoc convenientibus, cujus ligatura sit conveniens aut nulla et sine compressione. Si autem in vulnere faciei fuerit sagitta et nec possis sic de levi eam extrahere, non attendas rumores mulierum, si dimittere secure potes usque ad 7^{m} diem semper humectando locum et prosequendo in aliis ut melius et utilius videbitur expedire. Deinde capias canulam sagittae cum extractionem celebrare volueris cum tenaculis dentalibus et firmiter stringas et moveas versus dextram et sinistram et extrahas, extracta impleas vulnus cum stuello lardi ut mondificetur vulnus a malicia et aerugine ferri. Lardum autem in vulnerum curis nullum opus inveni nisi quod post extractionem ferri ejus aeruginem nec non et venenositatem emendat. Deinde mondifica, incarna et consolida. Si autem sagitta non appareat tibi visui sed tactu cum tenta, tunc intromitte uncinum coecum in canulam sagittae et in-

1) Stimmt stellenweise mit L. 2, cap. 8 des Saliceto überein, als hätten wir hier einen Auszug.

volve donec intret foramen parvum per quod egreditur hasta, deinde extrahe cum locus humectatus fuerit, ut sit habilior ad exitum. Dieta ejus sit temperata, si per viam auctorum curare nos velimus; si autem per nostra experimenta, procede per extractionem sagittae, ut superius manifestamus. — Forma uncini coeci haec est [1]): —

De vulnere in substantia oculi [2]).

Vulnera oculi timorosa sunt et propter oculum et propter affinitatem oculi cum cerebro. Considerare oportet in regimine loci cum unctionibus confortantibus circa oculum et circa vulnus et si fuerit cum sagitta et ibi remanserit procedatur in mollificando, extrahendo et alia prosequendo, ut superius diximus. Si autem sagittae sive vulneris orificium fuerit strictum, ita quod non possit egredi sagitta, dilatetur omni ingenio et extrahatur, et si non invenitur sagitta potes dimittere ipsam; nam ipsa natura ingenio subtili et putrefactione loci ipsam manifestabit et jam vidi multos, qui eam portavere per annum, deinde natura manifestavit eam et natura curati sunt. Si autem cum potione nostra curare hunc velis, procedas ut superius narratum est, et superpone emplastrum nostrum, extrahit enim sagittam absque alio artificio. Si vero cum aliquo ferro vel tali oculus habuerit vulnus observatis regulis superius dictis curetur cum collyrio, emplastro et defensivo. Collyrium: R boli arm. unc. 1, thuris unc. $^1/_2$, sang. drac. dr. 4, drag., gi. arab. aa unc. $^1/_2$, terantur et cribentur et misceantur cum unc. 3 aq. ros., deinde ponatur in ampulla vitri et suspendatur in vase pleno aquae, ita quod non tangat partem aliquam et bulliat per horam, et in fine addantur unc. 2 vini de granatis clari et ita remaneat per diem naturalem, deinde coletur et de hoc ponatur in oculo bis in die et infundantur in eo subtites petiae et superponantur. Emplastrum: R. boli arm., gi. arab., drag., myrrhae aa pulverizatis incorporentur cum aq. ros. et vino de granatis, in aestate addatur de succo sempervivae. Defensivum superius narravimus.

De vulnere in collo.

Si autem vulnus accidat in collo, aut fuerit secundum longitudinem aut secundum latitudinem et cum hoc aut leditur nucha aut non, et intelligo per collum partem posteriorem gulae, quae est a principio nuchae usque ad septimam spondilem dorsi aut spinae. Si autem vulnus fuerit secundum longitudinem et fuerit magnum et non fuerit cum laesione nuchae nec deperditione carnis nec ossis, conducas partes cum sutura aliqua dimittendo in loco decliviori apertum, ut possit mondificari et pone ibi stuellum cum vitello ovi et ol. ros. in hieme et albumine in aestate et super suturam pulverem circa vulnus defensivum et confortativum. In secunda visitatione procedas secundum quod tibi videbitur expedire circa utilia, scilicet flebotomia etc. Si fuerit cum laesione ossis, removeatur tempore convenienti, deinde prosequaris per ordinem necessaria. Et si fuerit cum laesione nuchae, considera in membris -uae sunt a laesione nuchae infra, utrum amiserint sensum et motum in parte

---

) Fehlt.

) Theilweise mit Saliceto L. 2, cap. 4 gleichlautend.

vel in toto vel non. Si autem non amiserint dimitte vulnus apertum, conforta nucham cum hoc: ℞ mellis ros., terebinth., farinae foenugraeci et olei masticis aa incorporentur. Si vero amiserint, signum est quod nucha est laesa, unde primo oportet nos incarnare nucham, deinde consolidare vulnus, si fuerit secundum longitudinem; hoc autem fiat de parte ad partem, ut superius continetur. Hoc autem dico, si vulnus fuerit secundum longitudinem; nam si secundum latitudinem et fuerit nucha ex transverso incisa, membra inferiora suas amittunt operationes et amplius eas artificio medici vel beneficio medicinae non recuperant. Et est scire, quodsi vulnus fuerit in nucha vel in nervis a cerebro radicaliter procedentibus, utqui sunt in fontibus genu et qui sunt in adjutoriis et sicut in substantia cerebri et in ejus panniculis, ut plurimum mortem inducunt. Hoc autem videmus ex parte cognitionis contractae ex scientia, unde in talibus oportet medicum uti pronosticatione amicis suis, ne vitium videatur incurrere ignorantiae. De his autem vidi quendam beneficio naturaeque adjutorio convalere. Fuit autem cum sagitta in nucha colli vulneratus et statim post percussionem amisit sensum et motum in omnibus membris a nucha inferius et emittebat superfluitatem primae et secundae digestionis, quem judicavi ad mortem; non pro tanto cessavi a cura et restitutus est et vixit.

De vulnere in aure.

Si vero vulnera fiunt in loco auris vel circa, timendum est de laesione cerebri, ex cujus laesione sequitur mors, vel timendum de laesione nervi auditus; nam per laesionem ejus privatur homo auditu. Attende hoc generale in omnibus vulneribus, scilicet bene inquirere de instrumento, de percussione, de percusso, quomodo stabat, et sic prima consideratio debet fieri; nam medicus non potest devenire in cognitionem laesionis cerebri vel cranei nisi per aliquem trium modorum aut per sensus vel per visum, tactum, auditum etc. aut per accidentia horum laesionem communicantia, ut est febris, rigor, vomitus et similia aut per conjecturas, ut si percussio fuit fortis, si instrumentum fuit grave et his similia. Si autem vulnus de sagitta fuerit aut cutello et ibi remansit, attende quae dicta sunt superius, scilicet: locum primo humectare praecipe, ut ante extractionem disponat corporalia et spiritualia et infirmum pro mortuo recipere, deinde extrahe ferrum, et si evadere potest, alia per ordinem ordinare necessaria.

Cap. De vulnere gulae[1]).

Gulae vulnera in longum facta vel latum timorosa sunt tum propter cannam pulmonis quae trachea arteria appellatur, tum per stomachi cannam, quae mery vel ysophagus dicitur, tum propter duas venas, quae dicuntur guidegi, quae in gula locatae sunt a dextris et sinistris ipsius cannae pulmonis in manifesto gulae, sub quibus tamen sunt duae arteriae magnae, quae arteriae et venae ad cor diriguntur immediate, ex quarum vulnere nocumentum per compassionem ex affinitate pulmonis et cordis consurgit, quia san-

1) cfr. Saliceto L. 2, cap. 7; die Krankengeschichten dieses Capitels stimmen fast wörtlich, nur sind die Namen ausgelassen.

guis ad pulmonem transit impediens pulmonem in suo motu necessario et calorem in corde extinguens et sic in cursu humorum ad cor et mortem subitam inducit. Sed vulnus cannae pulmonis et stomachi est timorosum valde et mortale propterea, quia ex canna pulmonis consequitur nocumentum impediens transitum aëris necessarii ad eventationem cordis. Canna stomachi est impediens transitum nutrimenti ad stomachum et propter hoc non sic celeriter vulnus cannae stomachi interficit, quia natura hominis longius potest expectare absque morte super defectum cibi quam super denegationem aëris vel ejus impedimentum et de hoc narrabo quaedam quae devenerunt ad manus meas. Vidi etenim quendam, qui vulneratus fuit cum sagitta parva in guidegi i. e. in vena quae est apud tracheam arteriam in manifesto gulae in latere sinistro trachéae arteriae et non exivit nisi stillicidium sanguinis et parvam facit penetrationem usque ad concavitatem venae et locus denigratus fuit et habuit rugitum in canna et mortuus fuit in fine mensis solaris; considerans quod esset propter venenum inveni quod non, sed fuit propter sanguinem derivatum per alium meatum ad cor et propter affinitatem ejus cum corde. Et vidi quendam qui secavit sibi cannam stomachi et ego continuavi partes decenter et firmavi locum cum necessariis et vixit. Et quendam vidi qui percussus fuit cum sagitta et perforavit ei totam gulam usque ad spatulam sinistram et non laesit venam aliquam et ego extraxi sagittam et vixit.

De vulnere in humero[1]).

Timorosa sunt vulnera in humero propter nodum et propter affinitatem istius loci cum nucha et nervis magnis provenientibus a cerebro et etiam, quia locus hic valde dolorosus est et ex hac causa de levi apostematur pars ista, quando vulneratur accidit ei rigor aliquando et postmodum spasmus ut plurimum. Debes norare hoc quod de prima et secunda ignorant secta et est: quomodo se habet rigor, spasmus, febris et mors. Nam rigor in vulneribus capitis et nervorum nobilium non fit nisi ex cursu materiae ad locum vulneratum debilem, quae materia cum inveniat cerebrum et caput et nervos et membra nervosa vulnerata debilia, spargitur per nervos omnes et inducit rigorem et si multiplicetur implet eos et faciet spasmum vel in loco vulnerato colligitur et facit apostema, et si calefacit, inducit febrem et sic per vulnera locorum nervosorum fit spasmus propter dolorem attrahentem materiam et propter debilitatem membri inductam ex solutione continui in membro et ex alteratione complexionis, quae duo ponunt in membro vulnerato, ut membra patiantur dolorem. Continuatur autem hic locus cum spina mediante cartilagine ossis spatulae et cum thorace mediante osse furculae et cum cerebro mediantibus nervis moventibus ipsum ad diversas partes et pro tanto requirunt modum curationis ut in juncturis et locis nervosis et non obmittat generalia et in hoc loco specialia, sicut est ligatura; nam iste locus diversam ab aliis ligaturam requirit locis.

De vulnere in adjutorio.

Adjutorium quando vulneratur cum ense ex transverso inciditur ut plu- musculus communis et cordae moventes brachium, et sic brachium

[1]) Vergl. den Anfang von Cap. 8, l. 2 bei Saliceto.

amitit motum, et aliquando etiam amittit motum, quando sagitta vel tale perforaverit, scilicet quando fuerit in summitate lacertorum. Si autem vulnus ex transverso in lacertos fit habentes spatii trium unciarum infra supra genu vel supra junctoram manus, quae inter cubitum et humerum, ut plurimum periculosum est et mortale, quoniam in eis est multa sensibilitas, quia partim a cerebro et partim a corde ipsarum procedit origo et sunt compositi ex carne, nervis et ligamento et sunt instrumenta voluntariorum motuum, idciro perniciosa eorum sectio judicatur; praeterea si lacertus cum nervo et musculo ex obliquo sit vulneratus, ut plurimum mortale. Si autem in longum, non desperandum est, sed utraque pars alteri comprimendo jungatur, et caveas ne ex mala et incauta cura periculum inde infirmus incurrat. Si vero circa medium adjutorii sine incisione lacerti vulnus fuerit, de periculo sic non est timendum, dummodo medicus in medicando non incurrat errorem et si in dictis locis pustulae nigrae in vulnere supervenerint et tumor ad superiora ascenderit, malum signum. Si vero pustulae fiunt albae, ad inferiora tumor, bonum. Cum autem ad eum accesseris, primo conducas partes solutas ad invicem et desuper pone stupas parvas et magnas, sicut convenit intinctas in alb. ovi, tantum si plaga fuerit sanguinolenta, deinde liga diligenter et sine forti strictura, nex est auscultandus stolidus medicus, qui dicit nervos suere incisos, quoniam tantum est dicere, quantum spasmum provocare. Secunda quidem visitatione apponatur tempore aestatis alb. ovi cum ol. ros. et vino tepido, hiemis vero vitelli ovi cum ol. ros. et vino bene calido et desuper stupas magnas in vino calido infusas et expressas, et si os, scilicet focile aliquod fuerit denudatum, non praesumas super ipsum apponere aliquod frigidum vel unctuosum, sed solum subtilis pannus et albus et quantumcunque fuerit vetustior est superponendus, et si necessitas te cogat apponere inter partes separatas aliquid, fila ex panno lini veteri albo studeas apponere nec praesumas apponere in hoc casu vel huic similibus stuellos duros numero multos, sicut inferiores a nobis faciunt nec frigidas medicinas, quoniam locis villosis et nervosis ratione sensibilitatis spasmum sunt provocantia, deinde per ordinem necessaria exequenda. In hoc autem loco et quolibet nervoso debili mondificativo utendum, cujus haec est receptio: ℞ mellis ros. colatae farinae ordei, terebinth., myrrhae, sarcocollae, ol. ros. ad ignem incorporentur. Si autem contingat vulnus nervorum apostemari, fiat hoc maturativum: ℞ malvavisci parati, aneti, flor. camomill, ol camomill., farinae panitii (?), butyri et axungiae porci quantum sufficit, cum aqua decoctionis malvavisci incorporentur et de eo tepide superponatur et si devenerint ad saniem, ut capitulo de apostematibus dictum est procede.

De vulnere in cubito[1]).

Vulnera istius loci timorosa sunt propter concatenationem et infiltrationem nervorum et ligamentorum ligantium locum istum, qui compositus est ossibus diversis habentibus diversas figuras, quae ossa et membra cum vulnerantur de levi, hic locus admittit propriam figuram et cum difficultate aliquis

1) Vergl. Saliceto L. 1, cap. 10, womit der Anfang fast wörtlich übereinstimmt.

in illo eam recuperat etiamsi rationabiliter a medico curvatur. Et si vulnus fuerit ex transverso circa partem domesticam multum timendum est et de defectu magis tum ratione fluxus sanguinis venarum magnarum et arteriarum, quae ibi locatae sunt, qui fluxus multotiens restringi non potest et ita moritur ratione juncturae. Sit ergo intentio tua primo in restrinctione sanguinis et locare partes disjunctas ad proprium scema et secundum alia utilia procedere, ut dictum est in similibus, circa vero ligaturam norare quoddam secretum ab aliis: nam si vulnus fuerit in cubito intra vel extra, debet cubitus ligari brachio extento et semper recipere ab inferiori et ubi declinat, et revolvere fasciam versus orificium superius et si vulnus fuerit latum ire versus partem quae subjacet. Haec autem particularia relinque in bono ingenio et arbitrio operationis de tertia secta.

De vulnere in rasceta manus.

In rasceta manus vulnus non est ita timorosum nec mortale ut est vulnus cubiti, sed gratia nervorum loco valde est dolorosum, et de levi apostematur. Si autem indiget sutura, fiat aut filo remanente aut sola acu vel duabus et desuper ponatur pulvis consolidativus aut apponantur verculi terrestres pistati et cum oleo masticino parum calefacto et secundum dispositionem vulneris manus ligetur. Si autem vulneratus in locis nervosis fortem incurrat dolorem, fiat tale remedium: ℞ olei laurei et ros. āā, succi apii, succi jusquiami aut papaveris albi aut sempervivae, bol. arm. āā, opii triti dr. 1, incorporentur et desuper tepide ponatur.

De vulnere penetrante et non penetrante pectoris[1]).

Vulnera istius loci si non sint penetrantia, habere debent eundem modum; sed si fuerit penetrans requirit illa et quaedam alia sc. mondificativa per os et per vulneris orificium; nam si vulnus fuerit penetrans, considera si aliquod membrum nobile est laesum, quia ut plurimum fit mortale. Sit ergo intentio tua in cognitione penetrationis, quod scies per exitum aëris a vulnere et maxime si obturentur os et aures infirmi et si gravedinem senserit in interioribus et si cum tussi emittit sanguinem et febris superveniat; quodsi fuerit penetrans et non fuerit in laesione alicujus membri nobilis et est recens cum sanguine suo, tunc non est desperandum ex toto, sed in cura intromittendum estque prima regula: sanguinem non restringere, ut non retineatur in profunditate ejus et cordis suffocando calorem extingat naturalem, unde sequitur mors, sed pone super vulnus alb. ovi cum ol. ros. et loca infirmum super vulnus ut currat qui aggregatur in eo de sanguine. Cum vero praeterierint jam vulneri tres dies aut plures et non accidit infirmo spasmus nec tremor cordis malus nec aliquod malum accidens et vides in eo bonas dispositiones, tunc scias, quod vulnus est salvum. Cura ergo ipsum cum liciniis et diapalma nostro donec sanetur. Si vero excusatur sanatio ejus et jam aperitur semper, tunc scias, quod jam facta est fistula. Cura ergo ipsum ex capitulo suo et si eius orificium strictum fuerit, tunc dilatare, ut sanies libere exire possit, cum

---

[1]) Nur der Anfang identisch mit den ersten Zeilen von Cap. 12, l. 2 bei).

tenta infusa in ol. ros. calido, et si necesse fuerit mundificativum sive lavativum, clysterizativum, per embutum ad modum clysteris immittatur: ℞ mellis ros. unc. 4, vini alb. unc 12, bulliant ad ignem, et si vis addere pulverem thuris, myrrhae, sarcocollae aa et colentur et de hoc tepide intromittatur et revolvatur infirmus super diversa latera, deinde super vulnus inclinetur ita, ut totum egrediatur, et si expedit bis hoc reiteretur, deinde impleatur vulnus petiis longis in mundificativo nostro intinctis aut stuellis de stupa caudatis et desuper diapalma nostrum apponatur, et si fuerit delicatus vel operationi inobediens, dabis per os haec digestiva: diadragantum et diapenidion distemperatis cum aqua liquiritiae et ysopi, et si tussiat, dieta tunc paretur cum rebus dulcibus; potus sit aqua liquiritiae, ysopi, granatorum dulcium, ordei decoctio. Et si vulnus est ex incisione ensis aut alterius instrumenti est et simplex in superficie pectoris aut dorsi, tunc cura ipsum cum eo quod praecessit ex sutura, si est magnum, aut pulvere et ligatura si est parvum. Si autem jam fecit impressionem in osse et incidit de eo frustrum, tunc inquire vulnus et propera ad extrahendum illa frustra, si sunt separata, et si non, tunc dimitte ea, donec digeratur vulnus; alleviatur enim extractio eorum. Reliquorum autem vulnerum accidentium in reliquis membris judicium in curatione est judicium ejus, quod diximus.

De vulnere penetrante et non penetrante in dorso [1])

Magis timorosa sunt vulnera dorsi quam thoracis et partis anterioris, et maxime si sunt penetrantia; nam spiritualia membra omnia cum dorso et parte posteriori alligata sunt forti ligatione, unde ex parva penetratione ad interius possunt laedi istae ligationes necessariae ad vitam, quae cum laeduntur afferunt periculum et mortem et etiam potest laedi nucha cum spina, cujus laesio est mala et propter se et propter membra, ad quae mittit nervos motivos et sensibiles. In non penetrante et penetrante, ut superius per nos narratum est procedatur tam ratione vulneris quam ulceris et ad proprium capitulum recurrere, si convertatur ad fistulam. Et est tibi unum scire de secretis, scilicet quando vocatus post aliquem alium medicum, si primus stuellum immisit, quod aliquando est causa doloris, ipsum trahere et dolorem sedare cum emplastro nostro dolorem sedativo et a stuello aut ex toto cessare aut ipsum minuere. Si autem vulnera anteriora et posteriora tam penetrantia quam non penetrantia cum potionibus nostris et emplastris curare volueris et disposueris, prospera invenies, dummodo vinum bibat subtile et purum.

De vulnere oris stomachi.

Si autem vulnus in hoc loco non penetraverit os stomachi, non est dubium quod manifestatur quoniam infirmus cum sputo non emittet sanguinem vel saniem nec cum vomitu. Secure dabis vinum ponticum cum aqua decoctionis thuris, masticis, nec immittatur tenta nisi in ore vulneris. Vidi autem quendam, qui vulneratus fuit in hoc loco cum sagitta penetrante ad posteriora et inde exivit, quae quidem non tetigit os stomachi nec laesionem alicui membro

1) Nur der Anfang fast identisch mit Cap. 18, l. 2 bei Saliceto.

spirituali induxit, quem solum ablutione vini, potione nostra et superpositione folii caulis curavi.

De vulnere in ventre penetrante et non penetrante.

Vulnerum cura istorum locorum si non fuerint penetrantia, non variantur a cura vulneris non penetrantis superioris capituli. Si autem penetraverit et fuerit sagitta et ibi remanserit, extrahatur, si potest inveniri, et si non, dimitte eam, quia natura per aliquod tempus derivabit ipsam ad aliquod membrum manifestum in extrinseco ita quod poterit extrahi et curetur vulnus ut consolidetur, si consolidari poterit. Accidit etiam aliquando ventri disruptio penetrans sine intestinorum laesione cum aliquo ex instrumentis, quae quidem fit aut parva aut magna aut media. Dico ergo, quod quando vulnus est parvum et egreditur ex eo aliquid ex intestino et sit difficile reducere ipsum, tunc illud est propter unum duorum modorum: aut propter parvitatem disruptionis aut quoniam in intestino inflatio est propter frigus aëris. Quando ergo illud est ita, tunc oportet ut calefacias ita ipsum, ut submergas spongiam aut pannum humidum in vino tepido solo aut cum decoctione squinanti, cyperi et spicae et embroces cum eo intestinum, donec resolvatur inflatio et quandoque facit illud vinum, in quo est stypticitas sola et est melius quam aqua in resolutione inflationis. Cum ergo vides inflationem jam resolvi, tunc humecta intestinum cum aqua in qua decocta est althea aut malva, ut acquiras levitatem et magis obediens sit ad introitum; nam per illud alleviatur introitus cum re parva. Si autem excusatur reditus ejus post hanc curationem, fiat clystere, si virtus sustinet et si cum toto hoc non est obediens, tunc fiat sicut dicit Galenus, et est ut infirmus in balneo vel aliquo loco calido per extremitates silicet manus et pedes suspendatur, ut gilbato dorso venter concavetur et sic aliquantulum concutiatur; ex hac namque dispositione facilius intromittitur. Quodsi his paratis nequeunt intromitti, tunc enim major est incisio facienda. Si [1]) autem zirbus cum intestino exierit quidquid ex eo nigrum vel viride factum est abscindatur, quia si remaneret fieret putrefactio in toto, ut ait Ypocrates: quodsi zirbus exiverit necesse est putrefieri quamvis moretur parvo tempore ligatus cum omnibus ejus venis et arteriis cum filo de serico, cujus extremitas extra vulnus dependeat; nam si id negligatur non est tutum, quoniam venter putrefactionem incurrat propter sanguinis. [2]) quibus intromissis vulnus cum digitis teneatur et suatur, ut praecessit narratio. Et illud quod melius est de suitione est illud quod dicit Galenus in de ingenio sanitatis et hic est sermo ejus: sit ergo intentio tua in suitione myrach ventris cum syphac i. e. suas cum suitione conglutinante syphac cum myrach, quoniam syphac est nervosum et tardae incarnationis, tali enim sutura syphac velocius incarnatur, deinde medicamen incarnativum superponatur et patiens supinus jaceat et taliter collocetur, ut dorsum sit gibbosum et venter existat concavus. Hujus quoque figura praeparationis est communis et utilis omnibus vulneribus, ex quibus exeunt intestina ac propria et particularis est, ut consideres

---

[1]) Von hier ab vergl. Bruno L. 1, cap. 4.

[2]) Lücke, nach Bruno durch emanationem zu ergänzen.

in qua parte vulnus ventris fuerit: quodsi fuerit in inferiori parte, sit figura praeparationis superius et crura infirmi sint suo capite altiora, et si fuerit in superiori parte, sit figura praeparationis inferius. Si vero vulnus fuerit in latere dextro, tunc sit declinatio infirmi ad latus sinistrum et cum fuit in sinistro fac contrarium illius, quoniam tota intentio est, ut pars vulnerata sit altior altera, ad hoc ut fieri nequeat declinatio intestinorum ad vulnus et propter hoc etiam in hoc loco ligatura est utilissimi juvamenti. Infirmi autem regimen subtilietur et a cibis inflativis custodiatur omnino. Si vero vulnus alicui intestinorum acciderit, tunc praecipiunt antiqui, ut fiat clysterizatio cum vino pontico nigro tepido, ut prohibeatur, ne fiat putrefactio et ut dolor mitigetur. Si autem grossis acciderit intestinis, facilius recipit consolidationem sine curatione; si autem subtilibus, fit contrarium illius. Sed illud quod ex intestinis jejunum dicitur curationem penitus non assumit et illud idem est propter subtilitatem ejus et multitudinem venarum et arteriarum. Et modus, cum quo in aliis: primo est restauratio disruptionis intestinorum, si fuerit parva, est ut cum acu subtilissima aut filo de serico diligenter suatur, deinde sicut diximus, intestina intromittantur, filorum quoque capita extra vulnus dependeant. Nec ipsum vulnus consolidari promittas donec incarnationem intestinum receperit. Medicamen etiam conglutinationem faciens super intestini suturàm apponas, si est tibi possibile. Facta[2]) intestini incarnatione extrahantur fila et consolidetur vulnus. — Membra secundum plurimum mortem inducentia, cum eis accidit vulnus, sunt vesica, cor, cerebrum, epar, renes, diafragma, stomachus, intestina gracilia, guidegi et lacertus. Quandoque accidunt vulnera sicut diximus,in partibus pectoris vel thoracis aut dorsi vel alia parte corporis et sunt penetrantia ad interiora, et tunc etiam viget dubium in regimine curationis ipsorum, in quibus praecepi non refrenare sanguinem et etiam apponere medicinam attractivam laudavi superponere et ut prohibeatur assiduatio mollificatorum, ne liquiditas aggregetur in profundo, quoniam hujusmodi vulnera sunt difficilis mondificationis, quia eorum profunditas est occulta, ex quibus verbis ait Galenus: in vulneribus pulmonis aut diafragmatis vel interioribus a syphac semper oportet studeri, ut quanto magis fieri potest, desiccetur sive um emplastris xtra positis vel cum potionibus. Si vero medicinam attractivam non habes, tunc totum administretur, ut illud quod aggregatur, sugat, sintque liciniorum capita extra vulnus dependentia ita quod compressione ligaturae corpus intrare nequeant et ibidem remanere, quoniam procul dubio causa putrefactionis esset et si non fuerit cum egressione intestinorum, infirmus jaceat super vulnus ne in ipso sanies aggregetur, et si oportet lavari cum melle, zuccaro et vino simul bullitis lavetur et cave secundum virtutem tuam, ut non mondifices ipsum cum acuto medicamine, sicut est flos aeris et similia, quoniam mortem induceres. Si autem putredo interius aggregata per vulnus mondificari non valeat, tunc antequam aggregetur, bibat de hac decoctione: ℞ vini pontici ℔ 2, terrae sigillatae unc. 1, sumac, balaustiae, corticem malorum granatorum aa. — Haec autem potio styptica omnibus vulneribus maximum praebet adjutorium, quoniam sanat et consolidat ipsum a

1) Von hier ab hört die Uebereinstimmung mit Bruno auf.

parte interiori aggregata; mondificetur cum diapenidion et diadragantum cum aqua decoctionis liquirit., ysopi, passularum et hujusmodi: quae potio stomacho jejuno sumatur.

De vulnere in renibus, femore et vesica.

Si fuerit vulnus in femore vel in renibus, considerandum est, utrum vesica sit laesa, secundum, utrum syphac sustinens intestina redescendentia ad bursam testiculorum sit laesum. Si autem vesica laesa fuerit, quod scies per exitum urinae per vulnus, dicas mortale, quoniam consolidationem vesica non recipit, cum non sit ibi caro nec multum sanguinis et non nutritur nisi ex quadam portione sanguinis, quae vadit cum urina. Si autem vulnus fiat sine laesione vesicae, tunc intromittendum est cum ordine medicinarum superius dicto. Quodsi syphac laesionem habuerit, tunc non praesumas apponere oleum aliquod cum aliqua medicina, quoniam impedit consolidationem, nec in aliquo vulnere parvo ibi sola ligatura sufficit vel cum pulvere consolidativo incarnationem expectas, sed cum medicinis quas in ruptura myrac et syphac diximus, primo syphac curas, deinde vulnus exterius consolida. Si autem in renibus fiat vulnus, quantum potes, studeas complexionem ipsius membri conservare et locum confortare, deinde ut dictum est in aliis, ut expedit procedere.

De vulnere testiculorum et matricis.

Vulnera in istis locis raro accidunt, unde etsi contingat vulnus in istis locis fieri, consideranda sunt superius determinata et his locis debita per ordinem exequenda.

De vulnere in ancha.

Vulnera in ancha sunt dubiosa propter magnitudinem membri et nervositatem ejusdem et propter laesionem ligamenti, ex cujus laesione sequitur in fine claudicatio. Procedendum est in tali membro cum confortativis et stypticis et sunt omnino putrefactiva vitanda ne putrefactionem nervorum inducant.

De vulnere in coxa.

Cum quis vulneratur in coxa, fit vulnus timorosum propter lacertum vel musculum magnum ibi existentem, a quo separantur cordae venientes ad motum cruris et pedis, et ad compositionem ejus veniunt nervi a cerebro portantes ad eum compassionem doloris inducti a vulnere loci, a qua compassione dolorosa saepe spasmus provenit et propter venas et arterias magnas coxae, quaecum inciduntur fluxus sanguinis cum difficultate constringitur aut nullo modo, unde sequitur mors. Primo refrenetur sanguis toto posse, ipso refrenato apponatur alb. ovi cum ol. ros. super vulnus et circumferentiis defensivum, quousque vulnus digeritur, deinde mondificativum nostrum, et non sis ausus in isto vulnere nec in simili ut in crure, brachio et adjutorio nec in membro nodoso nec in junctura sive fuerit vulnus profundum sive non, tentam aut stuellos imponere nisi in ipso vulneris orificio ne claudatur orificium

vulneris, quia ex confricatione et tactu tentae ad nervum consurgit dolor in loco et currunt humores ad locum dolorosum propter magnam nervorum sensibilitatem, unde apostematur locus et sequitur mors; ultimo cum nostro diapalma consolida.

De vulnere in genu.

Loca ista sunt timorosa et mortalia, cum in eis sit vulnus; nam ibi continuantur quidam nervi nobiles venientes a cerebro et a nucha, quorum fit dolor intolerabilis, ad quem spasmus sequitur multotiens et mors vel tanta debilitas loci, quod non potest defensio cursus humorum fieri, quin membrum apostemetur et fit cum hoc rigor qui signat sparsionem materiae et sequitur febris. Cum autem vulnus recens et cum sanguine suo fuerit, constringatur cursus sanguinis, deinde secunda visitatione apponatur ol. ros. calidum cum alb. ovi in aestate et vitello in hieme, et sicut diximus non est praesumendum apponere stuellum ad profundum sed in orificio tantum, et conforta locum nec est audiendus sermo illorum, qui dicunt quod oleum non est ponendum in vulnere nervorum, quia corrumpit et maturescit eos, quod falsum est; nam ol. rosar. habet oleaginitaiem, quae dilatat et potest calefieri actu, qua caliditate penetrat, et habet roseitatem, qua confortat membrum, ne humores recipiat et temperamentum, quo dolor removetur, et sic melius est in hoc casu quam oleum commune; sed confitendum est quod longus usus olei usque ad finem vulneris bene mollicie sua tantam induceret molliciem in nervis quod corrumperentur et in fine, videlicet tempore consolidationis, impediret conglutinationem partium; in aliis procedas, ut superius scriptum est.

De vulnere cruris.

Super focile minus cruris in acie ipsius cruris in parte anteriori reperiuntur nervi et lacerti nobiles descendentes a genu immediate et a cerebro per medium et a nucha, unde vulnus timorosum est. Fit autem vulnus aut cum laesione ossis aut sine. Si autem fuerit cum laesione ossis, tunc primo vulnere digesto extrahantur satagiae, deinde curetur vulnus ut alia diximus curari vulnera. Si vero fuerit sine ossis laesione, curetur, ut simplicia docuimus curari. Dubitatur autem et a multis dicitur de coëuntibus supervenientibus vulneratis inficere plagas et quod a multis dicitur impossibile est non habere veritatem aut secundum totum aut secundum partem; hoc autem in parte veritatem habet. Dico autem, quod vulneratus necetur a furtive coëuntibus, cujus talis est ratio: nam quando homo furtive est in aliquo maximo dubio spiritus propter timorem distemperantur et alterantur et cum provenit ad coitum et coitus sit distemperare spiritus sanos nedum paratos cum invenerit eos debilitatos et distemperatos eos magis alterat et corrumpit et cum ipse noviter ut per diem superveniat alicui vulnerato et vulnus discoopertum induat, spiritus corruptus egrediens de corpore per oculos inficit vulnus et ipsum alterat. De sano autem pacto coëuntibus non est dubitandum, quoniam sanam habuit conscientiam. Alia sufficientia[1]): nam propter laesam conscientiam spiritus

1) Bedeutet hier zureichender Grund.

magis inficiuntur a sanguine perturbato, qui spiritus egredientes per oculos inficiunt vulnus per contactum, ad quod vulnus declinant per virtutem visivam. Similis responsio est in caseo confecto vel conspecto a muliere furtive cocunte, qui cito putrefit, sicut et mulier menstruata inficit speculum. Aliud narrat mihi vulgus, quod sanguis emanat de vulnere adveniente vulnerante, et si mortuus jam fuerit; cujus talis est sufficientia: nam quando quis promovetur ad vulnerandum aliquem communicantem in sua specie, spiritus propter timorem et horribilitatem citantur et alterantur, et cum percutit spiritus subintrat vulnus cum instrumento, cum quo fit ipsum vulnus, et si contingit ipsum vulnerantem de novo tempore vulnere facto et existente vivo vel mortuo vulnerato ad eum praesumialiter venire ut videat vulnus, spiritus qui subintraverunt vulnus cum sentiant suum totum, egrediuntur de vulnere et recurrunt ad suum totum et sanguis qui mixtus erat cum illis spiritibus volens egredi cum eis emanat extra. Et quod istae operationes sint a spiritibus patet per hoc, quod de facto saepe videmus: nam videmus quod euntibus per nemora accidit interdum subitus timor et rigores et quasi videntur capilli evelli, et aliquando raucedo, et est quando transit juxta lupum nec vidit eum et lupus vidit hominem, et cum spiritus hominis et lupi inimicentur, spiritus lupi aëre mediante subito insurgunt contra hominem, spiritus hominis vero hoc sentientes citantur subito et fugiunt suum inimicum ad interiora cum sanguine, exteriora vero remanent calore depauperata, unde organa constringuntur et pori, quae quidem constrictio inducit rigores et punctiones, et quando vult subito vocem emittere raurescit.

De vulnere caviculae pedis.

Iste locus cum vulneratur sagitta vel ense infert timorem propter duo: primum est ex natura suae compositionis contractae ex compositione quorundam ossium parvorum necessariorum ad juncturam loci et formam ejus et sunt sex: scilicet os, quod apellatur navicula et albub et os calcanei et alia tria ossa parva, quae cum laeduntur amittunt positionem propriam et figuram; secundum propter nervum magnum positum loco illo, quo nervo focilia et ossa ista cum ligamentis ad invicem contiguantur et motum et sensum recipiunt, unde cum laeditur perditur operatio ipsius loci. Modus curationis juncturae quem superius determinavimus, est hic attendendus.

De junctura pedis.

Cum perforatur pecten pedis cum aliquo, impleatur vulnus cum ol. ros. calido et superponatur mel ros. cum ol. ros. et non immittatur tenta nisi in orificio circa locum defensivum et debes scire quoddam universale et est quod non debes apponere in aliquo vulnere mondificativum ante sextum diem, aut fueris securus ab apostemate, deinde mondificativum appónatur et prohibeatur perambulatio quantum postet et in hoc casu et in omni vulnere ab ancha inferius, deinde incarna et ultimo consolida cum nostris emplastris superius positis.

De punctura nervi facta in quocunque membro fuerit[1]).

Haec aegritudo periculosa est propter duo et specialiter quando perforatio facta est a spina et similibus, quoniam clauditur, ut non appareat orificium, quorum primum est quia propter dolorem humores currunt et apostematur locus et sequitur destructio operationis membri secundum quod ex punctura nervi fit dolor et humores currunt et sparguntur per membrum et imbibunt nervos et propter continuationem nervi cum cerebro cerebrum compatitur et debilitatur et decipit humores et per ipsum sparguntur per nervos et fit spasmus et mors finaliter. Cura ergo a principio hanc aegritudinem cum re dilatante orificium vulneris, et est oleum bene calidum; nam oleum oleaginositate sua dilatat omne vulnus et caliditate sua actuali penetrat ad profundum vulneris et sua aequalitate aequat complexionem membri et dolores removet et sic dolores removendo impedit cursum humorum et dilatando vulnus, si humores currunt habent manifestam expirationem et cum expirationem habeant non diffunduntur per nervos et sic non fit spasmus nec leviter apostema in membro generatur et hoc habet locum ratione principii puncturae; nos vero cum subtiliori consolidatione procedentes ponimus et posuimus temporibus nostris[2]) in principio istarum punctururarum in membris nervosis ol. ros., et hoc quia ol. ros. habet oleaginositatem, quae dilatat et potest calefieri actu, qua caliditate penetrat, et roseitatem habet, qua confortat membrum ne humores recipiat extraneos et habet etiam temperamentum, quo dolor removetur et sic in hoc casu melius est quam oleum commune. Perit ergo haec oratio illorum qui dicunt quod oleum malum est in vulneribus nervorum eo quod nervos corrumpit et marcescit, sed confitendum est, quod longus usus olei usque ad ultimum tempus aegritudinis bene sua mollicie tantam induceret in nervis calefactionem et molliciem, quod corrumperentur et etiam in fine prohibet conglutinationem partium. Sed oleum ratione principii et usque ad securitatem apostematis in puncturis nervorum utile fore dico, propterea quia dilatat vulnus omne strictum et obcoecatum et temperamento suo removet dolorem a nervis. Et debes notare, quod dolor removetur a membro vulnerato tribus modis: 1^0 per appositionem rerum temperatarum vel emplastrationem super dolorosum locum et est emplastratio quae fit ex oleo et farina seminis lini et foenugraeci et florum camomill. et malvavisco parato, et ista omnia aequando complexionem membri temperamento eorum dolorem removent et talis medicina dicitur anodyna i. e. temperata et doloris sedativa. 2^0 removetur dolor a membro per appositionem rei contrariae ad aegritudinem membri, verbi gratia: si membrum factum est dolorosum propter caliditatem acutam, apponere stupefactiva, ut opium, papaver, jusquiamum et similia; hoc autem sedat dolorem cum miscentur in emplastris cum aceto; sed ista non debent multum stare super membrum, sed statim ambo removeantur, quia posset mortificari membrum: ponatur ergo secure a principio usque ad cessationem doloris.

---

1) Vergl. hierzu L. 2, cap. 24 bei Saliceto, womit der Wortlaut stellenweise identisch ist.

2) Bei Saliceto (l. c.): longis.

3° removetur dolor per appositionem rei contrariae secundum 4 qualitates et est: si membrum factum est dolorosum propter frigiditatem, apponere ea quae calefaciant membrum cum temperent, si autem propter caliditatem et siccitatem subvenire cum frigidis et humidis oportet, et sic de aliis, longinque a punctura ol. ros. cum bol. arm. et aceto et si fuerit in aestate succo sempervivae, ut locus a cursu defendatur humorum ne possit ibi apostema generari caveas omnino et tota diligentia ab omnibus frigidis actu et contrariis nervis, ne super vulnus apponantur, ne ad apostema deinde ad spasmum infirmus incurrat, nedum ad mortem aut membri deperditionem sive ad tardam consolidationem deveniat et in malum convertatur ulcus, quoniam causa prohibens in vulneribus et ulceribus consolidationem ab aliquo trium procedit aut ab errore medici alii aut ab infirmo aut ab aëre infirmum circumdante. Error autem a medico triplex est, quorum unus est perversa acceptio principiorum artis, sicut sunt multi habentes istam intentionem erroris, qui non possunt regulari bonis documentis et principiis auctorum et eorum magistrorum. Secundus est pauca notitia in arte et iste error potest dici ignorantia et iste saepe fallit, quoniam principia ignorat et ignoratis principiis ingnorantur et consequentia. Tertius vero error est qui consistit in opere et talis error potest dici negligentia, et iste pessimus est cum sit artis prohibens finem, cum omnia facta sint propter aliquem finem, et intentio quidem finalis hujus artis nihil aliud est quam ipsa sanitas, unde iste errat aut faciendo quae non sunt facienda aut desistendo facere quae sunt facienda. Causa autem quando procedit ab infirmo, aut est voluntaria aut non voluntaria. Voluntaria quidem aut procedit ex voluntate infirmi, ut cibus et potus, coitus et similia aut procedit ex voluntate naturae et dispositionis membri ut in vesica et similibus. Non voluntaria aut mala dispositio totius corporis aut mala dispositio membri aut malicia rerum facientium vulnus vel ulcus et haec malicia aut est intrinseca, ut humor venenosus, aut extrinseca aut malicia instrumenti, cum quo fit vulnus. Aër vero, quando fit in causa aut operatur a proprietate regionis aut a sola qualitate, ut mala dispositio aëris. Et ex qualitatibus trium causarum possunt decem condescendere causae vulneris consolidationem tardantes, quarum una est multa quantitas deperditionis membri, secunda est rotunditas vulneris, unde oportet in oblongam reducere, tertia est durities et inversatio labiorum ulceris, unde oportet removeri, quarta est siccitas membri, unde oportet humectari cum decoctione foenugraeci, camomillae et seminis lini, quinta: quando fuerit intus aliquid quod debeat extrahi ut os vel aliud tale; sexta: quando super vulnus apponitur medicamen nimis calidum; septima est fluxus liquidae saniei et in hoc requirit ut medicus ingenietur derutare materiam ad decliviorem partem; octava est alteratio membri ad caliditatem vel frigiditatem quae oportet removeri per contraria; nona est, si oleum vel pilus tempore consolidationis intret inter labia vulneris. Decima est indebita situatio membri ut si cubitus vel aliquod tale vulneratur ex transverso et tempore consolidationis plicaretur secundum flexibilitatem impedit membri consolidationem. Ut ergo medicus errorem vitet, utatur his quae spasmum prohibent, quonia punctura nervi et tenantos parati sunt ad provocandum spasmum propter continuationem quam

habent cum cerebro et istae sunt causae motionis spasmi: frigus, sanguis, dolor et putrefactio. Omne frigidum nocet nervis, omnis dolor exacuit reuma et aliquando ex nimio fluxu sanguinis fit spasmus; putrefactio etenim circa nervos imbibit nervos et replet; unde fit spasmus Sis ergo sollicitus, ubi competit, materiam evacuare aut per flebotomiam aut per farinatum et ut scissura aperiatur si oportet, et dilatetur, deinde mondificetur. In aestate apponatur ol. ros., in hieme vero commune cum eo mixto, et quanto vetustius, inquit Galenus, tanto dissolubilius, quanto vero recentius, tanto mitigantius. Si autem locus fuerit ulceratus et nervi non sint discooperti, fiat tale unguentum: R. ol. ros., cerae quantum satis, tuthiae ablutae, euforbii abluti aa dr. 4, sulphuris vivi, calcis ablutae aa dr. 2, ad ignem incorporentur, et si sunt discooperti, sufficit sola terebinthina. Aliud commune: R. cerae, resinae picis aa unc. $^1/_2$, euforbii dr. 2, ol. roc. q. s.[1])

De fluxu sanguinis ex arteria incisa.

Fluxus de incisione membri aut incisione apostematis non fit nisi ex incisione vel aperitione venae vel arteriae, cum son sit sanguinem invenire naturaliter nisi in istis vasis, unde oportet primo considerare a quibus venis fluxus fiat sanguinis, nam venarum aliae sunt pulsu carentes et sunt facilioris curationis et minoris timoris, aliae pulsatiles, quae dicuntur arteriae et sunt difficilioris curationis et majoris timoris. Signatio vero quod sanguis manat ab arteria est quando sanguis cum saltu exit, deinde redit et iterum cum festinantia arcuali et est majoris purpureitatis quam sanguis aliarum venarum; quodsi uno tantum egrediatur modo, tunc ex venis quietis cognoscitur exire fluxus sanguinis et ejus evacuatio ab arteria naturam debilitat et spasmum inducit, unde ad restringendum festinare oportet. Cum ergo accidit illud alicui ex vulnere alicujus membri, tunc propera cum manu tua ad orificium arteriae et pone super ipsum digitum tuum indicem et stringe donec sanguis sub digito et in orificio arteriae congeletur et non egrediatur ex eo aliquid. Et scias, quod quando ex arteria vel vena magna fluit sanguis, tunc non est possibile abscindere ipsum nisi cum uno trium modorum: aut cum ligatura, ut ligetur cum filo ligatione forti aut ut ponantur super ipsum medicinae de proprietate, quarum est abscindere sanguinem, quae quidem duobus modis operantur, aut enim medicina stringit et non carnem inducit, sicut pulvis molendini, gipsum, terebentina, galla et pennae combustae et similia, aut stringit et carnem inducit sicut aloës, thus, sanguis drac. et similia, aut cum cauterio cum argento facto fuerit aut auro. Medicamen quod mirabiliter refrenat sanguinem emanantem a venis et arteriis: R. corticis thuris, aloës, sang. drac., gipsi, vitreoli combusti, gallarum combustarum et pennaram combustarum, pulveris molendini aa, pili leporis et cum alb. ovi. Hic pulvis incorporetur et de ista medicina in essentia arteriae imponatur et cum digito parum teneatur, deinde stuelli in hoc pulvere involvantur et ligetur et strictura fiat contra initium venae. Si autem de vulnere non sit dubitandum,

1) Für die folgenden Capitel dieses Buches habe ich nirgends mehr Anklänge an Saliceto constatiren können.

tertio solvatur die, et si medicina super vulnus fuerit desiccata non violenter auferas sed de alia apponas, ut prima emolliatur. Si vero per medicinam non refrenatur sanguinis cursus, recursum ad cauterium habere consuevimus et sit sicut diximus, et pone in igne duo cauteria aut plura donec fiant bene ignita, deinde accipe ex eis unum et pone super ipsam venam, deinde aliud et non cesses facere illud cum uno post aliud, donec abscindatur sanguis, deinde appone cotum cum pulvere constrictivo et terebintina.

De morsu canis vel hominis vel alterius animalis non reptilis.

Horum morsus tunc est deterior cum sunt famelici. Cum ergo canis vel aliquod aliud morsu membrum vulneravit, statim a principio apponatur super morsuram emplastrum quod sic fit: sumatur cepe unum et pistetur cum sale et ol. ros. aestate et hieme communi et melle et incorporetur et de hoc superponatur usque ad mondificationem; deinde curetur cum unguento nigro: ℞ cerae, sepi, picis aa dr. 6, galbani dr. 3; hoc enim unguentum plus aliis omnibus unguentis morsibus et perforationibus, quae ex unguibus avium fiunt, confert atque omnibus vulneribus, quibus accidit attritio aut separatio vel incisio magna, auxiliatur; circa vero locum usque ad digestionem sui ponatur defensivum.

De morsu canis rabiosi.

Ille vero quem canis mordet rabiosus, non existimat in principio, quod morsus eum laedat multum, sed mala accidentia parum postea adveniunt, ex quibus timetur, unde nocumentum, quod hujus canis morsus sequitur magnum judicatur ideoque nos oportet hujusmodi signa describere, quibus canis rabidus dignosci debeat, quatenus ab eo fugiatur, aut cito interficiatur. Dicimus itaque, quod iste canis plurimum incurrit rabiem in diebus canicularibus et quandoque in maximo frigore; sunt et alii, qui dicunt, quod in autumno et vere, assignantes talem causam: canis naturaliter frigidus est et siccus, cui colera nigra dominatur, unde ex sui abundantia immutata et putrefacta et corpori dominante ista corrupta necesse est rabidos faciat. Ratio autem eorum, qui dicunt quod rabiem incurrit tempore maximi caloris aut frigoris, est per viam adustionis cum venenositate et alterationis ad illam dispositionem. Dicunt canem et alia animalia rabiem incurrere, qui postquam eam incurrerit a comestione prohibetur, aquam quoque si viderit ab ea fugiet, os quoque suum aperit et linguam ab ore ejus extrahit foras et ab ejus ore spuma fluit et humiditas ex naribus; oculi ejus rubent, ut sanguis; caput ad terram inclinat et caudam relaxat et inter coxas deponit et diversis ut ebrius vacillat motibus et ad omnes vadit quos videt et eos vult mordere, dominum suum non cognoscit, alii autem canes ab eo fugiunt, parum latrat et voce rauca; et cum ista igitur signa aut aliqua in aliquo videntur, cito interficiendus est aut ab eo fugiendus. Cum ergo morsum a cane rabioso cognoveris cito succurre. Si autem in principio ex quo morsus fuerit, ut est prima die, locum cum cauterio comburas, summum remedium est et circa locum apponere defensivum et super locum hoc emplastrum: R, mellis, salis, picis, butyri aa et usque ad mondi-

ficationem, deinde cura cum unguento nigro. Si autem ad te post primam diem, ut 2ª aut 3ª, infirmus talis accesserit, ventosas morsui superpone cum scarificatione et multum sanguinis extrahe, deinde super ipsum medicamina, quae ipsum dilatent et consolidari prohibeant, superpone, ut cepe pistatum cum butyro, melle et ol. ros. usque ad mondificationem, deinde cures cum unguento nigro et sumat de hoc medicamine: R, gentianae dr. 5, thuris dr. 1, cineris cancrorum adustorum dr. 4, pulverizentur et subtiliter cribentur et pulvis incorporetur cum tyriaca et detur a principio usque ad vulneris digestionem; dieta ejus sit frigida. Si vero transiverint 3 dies antequam ad infirmum voceris, cum ventosa vel cauterio non fatiges, quoniam jam venenum transivit ad corpus, sed vulnus consolidari non permittas, sed pone emplastrum supradictum aut ex cera et butyro. Et scias, quodsi incurrit timorem aquae, nunquam liberabitur sed cum eo morietur.

De morsu serpentis.

Quem serpens momorderit, ejus color in albedinem mutatur et tumescit morsurae locus et patiens stupescit, frigescit, tortura ventris et vomitus subsequitur colericus et si non succurratur, venenum ad cor derivabitur et infirmus periclitatur. Si vero curari non potest sine abscisione membri, melius est deficere in uno membro quam in vita. Si autem a principio vocatus fueris, pullos scindas parvos per medium et super locum emplastra, et cum fuerit infrigidatus, alium scissum superpone et membrum super locum, in quo punctura est, liga et patientem flebotoma. Est et aliud remedium: locum scarificare et cufam superponere et multum sanguinis extrahere. Remota cufa hoc superpone emplastrum: ℞ sqillam in aceto coctam et sal tritum et cancros fluviales diligenter tritos et frondes mali coctas in aqua et tritas sive pistatas, simul incorporentur et superponatur. Aliud emplastrum Galeni: ℞ serapini, piperis, assae, opoponacis aa dr. 3, galbani, sulphuris aa dr. 1, tempera cum vino et superpone. Ejus dieta sit comedere allia, poros, cepas, rutam, nuces avellanas et vinum forte vetus. Detur ab ipso principio semel in die de theriaca majori cum vino calido, ut sanguinem dissolvat et coagulum prohibeat, quia venenum cordis sanguinem coagulat, sicut coagulatum lac, sed calore theriacae dissolvitur et cor in expellendo confortatur sicut flamma ignis in expulsione fumi, et si theriaca non potest haberi, detur haec potio experta, cujus haec est assignatio et dicitur theriaca puncturarum: ℞ coaguli leporis dr. 1, pulveris cancrorum fluvialium assarum dr. 3, succi rutae dr. 2, cinnamomi, salis communis aa dr. 3, gentianae dr. 4, costi dr. $1\,^1/_2$, seminis caulium dr. 1, piperis dr. 5, aristol. rot. dr. 2, baccarum lauri dr. $2\,^1/_2$, castorei dr. 1, foliorum pomorum dr. 2, anisi dr. $1\,^1/_2$, pulverizentur et cum zuccaro et rob vini ad modum diacimini conficiantur; ejus potio sit exaginum unum cum vino veteri.

De morsu scorpionis.

Cum aliquem scorpio pupugerit, dolorem maximum patitur, aliquando tumet in loco, aliquando calet, aliquando rigorem in extremitatibus corporis

patiuntur. Medica turigitur cum theriaca majori aut cum theriaca puncturarum in praecedenti scripta capitulo. Remedium locale sit emplastrum hoc: sumatur de ruta. allio, sale, castoreo, pistentur et superponatur. Aliud: sulphur croceum et sal et semen lini pistentur et cum succo rutae incorporentur et superponatur. Bibat vinum forte vetus et butyrum bovinum cum melle et cancros fluviales cum lacte asinino, comedat acuta et quae in superiori capitulo sunt denominata.

De punctura apium vel vesparum.

Quem apes pupugerint, incensionem et dolorem nimium patitur et tumefactionem, quoniam venenum habent acutum et aculeos in puncturis dimittunt, unde ut plurimum quae pungunt commoriuntur apes. Cum autem medicari punctum volumus, apponimus alcannam cum ordei farina et aceto, aut lac ficuum aut frondes basiliconis et blitis pistatae at de succo ungatur[1])
Bolum arm, cum aceto et aq. ros. distemperatum superpone. Fertur quoque, quoniam muscae si terantur et locus punctus cum eis fricetur, dolorem sedant. Galenus autem: si cum succo malvae quis ungatur, cum alvearia accederit, non mordetur ab apibus.

De extensis vel verberatis.

Extensis vel flagellatis et si membra superiora ab umbilico superius magis laesa fuerint, fiat flebotomia de pede vel pedibus, vel scarificatio; si vero inferiora laesa fuerint, fiat flebotomia de manu aut de brachio; super locum ponatur confortativum de oleo myrtino et bolo arm., et ol. ros. cum alb. ovi incorporentur et superponatur et fiat ut assellet nec omittatur. Sumat hanc potionem: ℞ reulberi[2]) electi dr. 3, pulverizetur et cribetur et misceatur cum unc. 2 syrupi ros. et detur in matutinis cum aqua frigida et cum vino lymphato in hieme.

De laesione facta ab igne vel aqua calida.

Cum corporis aliquid aduratur vel supercalefiat ab igne, ferro calido, aqua vel oleo bullito, oportet locum refrigerare ne ad vesicationem proveniat. Remedium autem primum et bonum i. e. in primis duobus diebus laesionis est hoc: ℞ alb. ovi, aq. ros. et ol. ros. et simul conquassa donec spissetur ad modum unguenti et de hoc locum line et etiam super petiam infusam vino et parum expressam de hoc pone et fascia, membrum totum quater in die mutetur. Si autem videri vis ab aliquo nobili subtiliter procedere, sume hoc remedium: ℞ ol. ros. unc. 2, populeon unc. 1, camph. dr. 4, cerusae ablutae unc. $^1/_2$, aq. ros. dr. 3, crooi dr. 2, omnia simul incorporentur cum duobus albuminibus ovorum simul bene ductis et superpone ut dictum est. Si autem locus vesicatus fuerit, fiat tale remedium: ℞ calcis ablut. dr. 2, ol. ros. unc. 1, cerus. ablut. unc. $^1/_2$, camphorae dr. 2, aq. ros. dr. 3, aluminis dr. $1^1/_2$,

1) Lücke.
2) latinobarb. für reubarb.

in mortario conficiantur ad modum alcohol et de isto inungatur. Si vero locus vesicatus cum multa fuerit, fiat tale unguentum: ℞ ol. ros. unc. 2, cerae dr. 4, dissolvatur cera cum oleo et deponatur ab igne et ponatur in mortario et addatur pulvis cerussae tantum, ut sufficiat, ut aliquantulum cursibile fiat, deinde addantur duo albumina ovi et parum croci et simul bene incorporatis utere.

Leider kann aus Raummangel der Rest des 4. Buches, enthaltend den Sermo de algebra etc., nicht mehr gegeben werden. Derselbe muss einer späteren Publication zusammen mit dem Schluss der ganzen Chirurgie vorbehalten bleiben.

Thesen.

I.

Bei einer tuberculösen Erkrankung soll der Arzt die Familienmitglieder auf die Infectionsgefahr aufmerksam machen.

II.

Bei jedem Krankheitsfalle ist der Urin zu untersuchen, auch wenn eine Abnormität nicht anzunehmen ist.

III.

Bei Syphilitikern, welche eine Kur scheinbar mit Erfolg durchgemacht haben, soll ein weiteres Beobachtungsstadium von 3 Jahren folgen.

Lebenslauf.

Verfasser dieser Arbeit, Frederick Alexander Sternberg, geboren am 8. Juni 1866 zu New York, mosaischer Religion, Sohn des Kaufmanns Salo Sternberg, besuchte die Hochschule in New York, wurde im Jahre 1887 an dem Medicinischen Departement der Universität der Stadt New York immatriculirt und machte nach dem Studium von 6 Semestern und einem Jahre practischer Thätigkeit das ärztliche Examen.

Am 16. October 1892 wurde er an der Friedrich Wilhelms-Universität zu Berlin immatriculirt, bestand am 22. Juli 1893 das Tentamen medicum und am 28. Juli das Examen rigorosum.

Während seiner Studiezeit besuchte er die Kliniken und Curse folgender Herren:

In New York: Loomis, Smith, Stimson, Mecklenburg, Polk, Knapp, Piffard, Wright, Witthaus, Weisse, Thompson.

In Berlin: v. Bardeleben, v. Bergmann, du Bois-Reymond, Gusserow, Hirsch, Jolly, Klemperer, Köppen, Leyden, Liebreich, Mendel, Pagel, Schweigger, Schöler, Senator, R. Virchow, Waldeyer, Winter.

Allen diesen hochverehrten Herren spricht Verfasser hiermit seinen aufrichtigen Dank aus.

Photom
Pampl
Binde
Gaylord
Maker
Stockton,
PAT. JAN. 21,

LANE MEDICAL LIBRARY

To avoid fine, this book should be returned on or before the date last stamped below.

H128.3H Mesue, J. 75014
M59 Das 4.Buch der "Angebli-
v.4 chen Chirurgie.

NAME | DATE DUE